



COMMENTATIO

IN

JESU COLLOQUIUM CUM NICODEMO.

JOANN. III. vs. 1—16.

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS

DE

COLLOQUIO JESU CUM NICODEMO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

CORNELII JACOBI VAN ASSEN,

JUR. UTR. DOCT. ET PROF. ORD.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

JANUS HENRICUS HOLWERDA,

HAGANUS,

AD DIEM XXIV JUNII MDCCCXXX, HORA XII—I.

IN AUDITORIO MAJORI.

HAGAE COMITUM,

TYPIS FRATRUM GIUNTA D'ALBANI,

MDCCCXXX.

L. S.

Quaerenti mihi disputationis Academicae argumentum, multa quidem occurrebant, incipienti vero et manum operi admoventi nullum plane satisfaciebat. Itaque ab alio ad aliud traducebar, et fere in eo eram, ut scribendi consilium plane abjicerem. Tandem dubitationem sustulit vir summe venerandus I. J. DERMOUT, *cum mihi significasset, colloquium Jesu cum Nicodemo aptissimum sibi videri, in quo explicando elaborarem. Cujus viri auctoritas, cum propter insignem doctrinam apud omnes plurimum valere debet, tum inprimis apud me, cujus pueritiam ita religionis cognitione imbuit, ut fructus inde perciperem uberrimos. Accedebat, quod Cl. Promotor* J. CLARISSE *consilium meum, ut ei aperui, statim comprobavit, seque mihi adjutorem fore promisit. Quod ita sane perfe-*

—

cit vir Cl., ut summam mihi benivolentiam praestaret. Nam et de ratione, quam sequi deberem, utilissima me monuit, et libros, quibus opus esset, non modo mihi indicavit, sed plurimos etiam suppeditavit. His igitur viris nisi publice gratias agam, mihi ipse non satisfaciam.

Permulta quoque reliquis me praeceptoribus, Theologiae in Academia Lugduno-Batava Professoribus debere sentio. Ex quorum institutione si forte minorem, quam par erat, percepi doctrinae fructum, mea culpa id accidisse, lubens fateor. Illorum certe voluntatem nunquam mihi defuisse, gratus agnosco. Deum O. M. precor, ut cunctis his viris vitam servet incolumem, eorumque eruditionem et disciplinam in Patriae et Ecclesiae emolumentum fortunet.

COMMENTATIO

IN

JESU COLLOQUIUM CUM NICODEMO.

JOANN. III. vs. 1—16.



Pauca de hujus sermonis indole in universum praemonenda sunt. Quae eo potissimum pertinebunt, ut ejus difficultates paulo accuratius cognoscamus, certamque, quoad ejus fieri potest, rationem constituamus, secundum quam reliquae nostrae orationis veluti cursum dirigamus.

Initium a Nicodemi persona faciamus, ipsius Euangelistae exemplum secuti, qui narrationem ita exorsus est: *Ἦν δὲ,* inquit vs. 1, *ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων, Νικόδημος ὄνομα αὐτῷ, ἄρχων Ἰουδαίων.* Viri nomen licet facile concedam Wetstenio (1) Hebraice efferri נַקְדִּימוֹן, nullo tamen modo adducar, ut ab Hebraeo fonte ductum putem (2), cum plane Graecum esse videatur (3). In quo nemo offen-

(1) Ad N. T. Tom. I. p. 850.

(2) Conf. *Schleusnerus*, in voc.

(3) *Nicodemi* nomen exstat in orat. Aeschinis adv. Timarchum. Frequentius apud Graecos occurrit *Demonicus.* Conf. *Beausobre*, ad h. l.

det, qui reputaverit, linguam Graecam primum Alexandri M. expeditionibus, deinde Seleucidarum imperio per totam fere Asiam usu receptam esse. Hinc Judaeos mos invasit Graeca assumendi nomina. Quod inprimis effectum arbitror Antiochi Epiphanis tyrannide, qui eos, ut notum est, in omnibus omnino rebus ἑλληνίζειν cogebat. Narrat certe Josephus, Ἰησοῦν et Ὀνίαν, filios Simonis, ut tyranno placerent, ab eoque τὴν ἀρχιερωσύνην acciperent, Graeca adscivisse nomina, et hunc quidem Μενέλαον, illum Ἰάσονα appellatum fuisse; Antiquit. XII. c. V. § 1. p. 608, ed. Haverk. Idem Josephus, l. l. c. IX. § 7. p. 623, Ἰακείμου Pontificis M. mentionem fecit, qui Ἄλκιμος vocari gaudebat. Quorum exemplum quin multi eadem de causa secuti sint, non est quod dubitemus. Qua in re tantum sibi indulserunt Judaei, ut, libertate restituta, eundem morem retinuerint. — Fuit autem Nicodemus e secta Pharisaeorum et ἄρχων Judaeorum. Disputarunt viri docti (1), utrum illud ἄρχων ad Nicodemi nobilitatem tantummodo pertineat, ut significet virum *primarium*, an vero ad ejus dignitatem, ut significet *magistratum*, *synedrii assessorem*. Quam quaestionem ut fuse tractemus, non opus esse videtur. Assentimur autem Knappio (2), illud vocabulum, et in N. T., et apud Josephum

---

(1) Conf. *Wolfius* in *Cur*. ad h. l.

(2) *Comment. in colloquium Jesu cum Nicodemo*, in *Scriptis varii argum.* Tom. I. p. 200. not.

saepius de senatoribus usurpari. Quorum numero etiam Nicodemum adscriptum fuisse, patet ex Joann. VII. vs. 50. Cum vero in ipso nostro capite vs. 10, διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ vocetur, recte colligitur, eum fuisse ex ordine τῶν γραμματέων, sive νομοδιδασκάλων, quorum haud pauci in senatorum collegium cooptari solebant.

Colloquium, quod cum Jesu habuit, multis nominibus dignum erat, quod a Joanne literis mandaretur. Incidit autem in illud festum paschatis, quo Jesus Hierosolymis munus suum publice auspicatus est. Monuerunt viri docti non omnia, quae Jesus et Nicodemus illa nocte collocuti sunt, h. l. relata legi, sed plura a Joanne esse omissa. Quod nemo profecto negabit. Sed duplici modo hac animadversione abuti possunt, et abusi sunt interpretes. Nimirum erunt fortasse, qui hanc ob causam de Joannis fide dubitare velint; alii conjecturae licentia ea, quae omissa videbantur, addere conati sunt. Horum rationem improbare liceat; illis vero in nostrae scriptionis introitu resistendum est.

Primum igitur, quod Joannes ex eo sermone pauca tantum, eaque intellectu difficiliora retulerit, id ejus fidem adeo non labefactat, ut eam potius mirifice confirmare videatur. Etenim Joannes haec ab ipso potissimum Nicodemo accepisse videtur (1);

---

(1) Sic statuit *Knappius*, l. l. *Kuinoelius* conjecit, Joannem ipsum sermoni interfuisse. Quam conjecturam minus probabilem judicat *Lückius* in *Commentar über die Schrif-*

quocum ipsi, ut probabiliter conjicitur, necessitudo intercedebat. Hunc autem ex illo sermone ea inprimis memoria tenuisse, quae ipsi nova erant et obscura, res ipsa loquitur. Quae eadem Euangelista ut acceperat, sic literis consignavit. Quod eo etiam probabilius videri debet, quia insunt in nostro loco indicia quaedam, e quibus haud inepte colligatur, Jesum cum Nicodemo Syro-Chaldaice collocutum esse, Joannem vero verbum fere verbo reddidisse. Huc referam, quod vs. 3, pro *ἀναγεννηθῆναι* scripserit *ἄνωθεν γεννηθῆναι·* tum quod vs. 8, pro *ἄνεμος* dixerit *πνεῦμα*, ut lusum verborum conservaret; denique quod vs. 14, in vocabulo *ὑψωσε* et *ὑψωθῆναι* ambiguitatem reliquerit. Sed de hisce infra videbimus.

Alterum, quod monendum nobis restat, ejusmodi est (1). Ex difficultatibus, quibus nostri colloquii intelligentia impeditur, haec est vel maxima, quod orationis series et cohaerentia vix appareat. Itaque nonnulli interpretes (2), quae ipsis videbantur deesse, conjecturis explere conati sunt. Qua ratione omnem hujus loci interpretationem incertam reddi

---

ten des Euangelisten Johannes, Tom. I. p. 564. Fieri etiam potest, ut Joannes haec ab ipso Jesu audiverit. Quamcunque autem harum sententiarum elegeris, argumenti nostri vis eadem manebit.

(1) Conf. *Lückius*, l. l. p. 565.

(2) Conf. *Koppius*, *Interpretatio orationis Christi cum Nicodemo*, in *Pottii Sylloge Commentt. Theologg.* Vol. IV. p. 54.

et arbitrariam, quid attinet multis ostendere? Quod autem hoc sibi licere arbitrantur, quia Joannes plura hujus colloquii capita vel ignoraverit, vel reticuerit, in eo egregie falluntur. Quis enim credat, eum talia omisisse, quae ad orationis intelligentiam prorsus necessaria essent? Et, si vel maxime nostrum colloquium in compendium redegerit, hoc eo valere debebat, non ut nexus sententiarum evanesceret, sed ut magis etiam eluceret.

Ex his apparet, quamnam potissimum rationem sequendam esse existimemus. Quae, licet multum ad loci intelligentiam prodesse videatur, tamen ejusmodi est, ut non omnes per eam difficultates tollantur. Quamquam hoc quidem suscipere et profiteri haud scio, majorisne sit arrogantiae, an temeritatis. Quod quivis facile agnoscet, qui reputaverit, nullam adhuc interpretationem prolatam esse, quae ab omni parte satisfaciat. Quamobrem illud tantum efficere studebimus, ut vero simillimam quamque sententiam eligamus, quaeque maxima probabilitate commendetur.

Vs. 2. 3. *Οὗτος ἦλθε πρὸς αὐτὸν νυκτὸς, καὶ εἶπεν αὐτῷ· ῥαββὶ, οἴδαμεν, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος· οὐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν, ἃ σὺ ποιεῖς, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ θεὸς μετ' αὐτοῦ. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ· ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.*

Legenti hos versus facile apparebit, Jesu respon-

sionem cum Nicodemi alloquio non omnino convenire. Quam difficultatem ut tollerent interpretes duplicem fere viam ingressi sunt. Plerique enim statuerunt, Joannem non integra Nicodemi verba retulisse, sed eam illorum partem, ad quam Jesu responsio pertineret, omisisse, cum quivis lector eam facile conjectura assequi posset (1). Hanc autem rationem minus nobis probari, intelligi potest ex iis, quae supra disputavimus. Nec dubitamus assentiri Cl. Borgero (2), animadvertenti, ejusmodi omissionis nullum exstare in N. T. exemplum; quae autem afferunt loca Joann. I: 20. VIII: 19, prorsus esse aliena.

Magis igitur placet ea sententia, quam praeter Borgerum, Langius (3) et Schmidtius (4) probarunt, nihil h. l. a Joanne omissum esse. Nimirum Nicodemum plura volentem ita interpellasse videtur Jesus,

---

(1) Conf. quos laudat *Heumannus*, in *Nova Sylloge dissertationum*, Part. I. p. 22. *Koppius*, l. l. p. 39, alii. Obiter notanda est *Lückii* inconstantia, qui cum totum sermonem integrum ad nos pervenisse statueret, conf. l. l. p. 565, hoc tamen loco aliquid deesse suspicatur. Vid. p. 567.

(2) *De constanti et aequabili J. C. indole, doctrina ac docendi ratione.* p. 102.

(3) In *Versione germ.* ad. h. l.

(4) In *Biblioth. d. Kritik. u. Exeg. d. N. T.* Tom. II. p. 144, 415. seqq.

ut ei aliquanto durius responderet. Videbat enim Servator in Nicodemi animo inesse quaedam vitia, quae nullo alio modo tolli possent; ut hoc etiam loco habeamus exemplum, eum hominibus ita semper uti consuevisse, ut quam maxime eorum saluti consuleret. Quod si verum est, ut infra satis demonstrabimus, non vereor eorum vocem, qui ejusmodi durius responsum a Jesu humanitate abhorrere existiment. Sed hanc reprehensionem pluribus refutavit Borgerus (1).

Jam vero investigandum est, quaenam tandem Servatori in Nicodemo displicuerint? Qua de re nisi multo accuratius, at multo certius judicare possemus, si Nicodemi res et vitam magis cognitam haberemus. Nunc vero, cum tam pauca de eo nobis innotuerint, magna profecto cautione opus est, ne de ejus indole perverse judicemus. Quo magis operam dabimus, ut hanc indiciorum inopiam inquisitionis diligentia compensemus.

Ac primum quidem videamus, quid sibi velit illud, quod vs. 2, scripsit Joannes, Nicodemum non interdiu, sed noctu ad Jesum venisse. Qua annotatione ita usi sunt Schwarzius (2) et Koppius (3), ut inde conjicerent, Nicodemum pessimum fuisse hominem, similem Pharisaeis illis, qui Jesum stu-

(1) l. l. p. 109—114.

(2) In *Comment. ling. Gr. N. T.* p. 490.

(3) Conf. l. l.

diose observarunt, si quid forte diceret, cujus accusari posset. Conf. Matth. XXII: 15. Marc. XII: 13. Luc. X: 25. XI: 53, 54. XX: 20. Quare, quo facilius hoc faceret, eum noctu ad Jesum venisse. Quae sententia, nec validis nititur argumentis, nec multum loci nostri interpretationem adjuvare videtur. Enimvero si Jesus Nicodemum ita animatum esse judicavisset, ne dubitemus, quin eum aut statim dimisisset, aut gravius etiam increpuisset. Nunc vero eum ita tractavit, non ut quem maxime probabat, sed ut quem docendum admonendumque existimabat. Sed nolumus plura afferre, cum viri docti hanc sententiam certatim improbaverint et refutaverint (1). Quid igitur? Maxime ad verisimilitudinem accedere nobis videmur, si cum plerisque interpretibus (2) statuamus, Nicodemum ideo clanclulum ad Jesum venisse, ne in odium collegarum incurreret. Quae ratio vel ideo placet, quod Joannes cap. XII: 42, diserte narrat: *ὅμως μέντοι καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν· ἀλλὰ διὰ τοὺς Φαρισαίους οὐχ ὡμολόγουν.* Nicodemum autem

---

(1) Conf. *Knappius*, l. l. p. 200. *Kuinoelius*, ad h. l. p. 217. *Borgerus*, l. l. p. 203. not. *e*. *Tittmannus*, *Meletem. Sacr*. p. 107.

(2) Conf. *Grotius*, *Kuinoelius* et *Langius* ad h. l. *Schmidtius*, l. l. *Borgerus*, l. l. p. 104. not. *f*. *Knappius*, l. l. p. 202. *Tittmannus*, l. l. p. 188. Vide etiam quos laudat *Lightfootus* in *Hor. Hebr*. ad h. l.

ex hoc numero fuisse, colligi posse videtur ex cap. XIX: 38, ubi cum Josepho Arimatheensi ita conjungitur, ut uterque occultus Jesu discipulus fuisse intelligatur. Fuit igitur non tam malitiosus et astutus, quam potius timidus et meticulosus. Nonnulli tamen viri docti hoc etiam crimine eum liberare conati sunt (1). Sed quae attulerunt argumenta nostram magis, quam ipsorum sententiam confirmant. Primum igitur dicunt, causam cur Nicodemus noctu venerit, in eo maxime positam fuisse, quod speraret, se tum Jesum facilius otiosum nancisci posse; quippe qui interdiu, et magna hominum frequentia cinctus, et plerumque agendo docendove occupatus esset. — Atqui si Joannes nihil aliud significare voluisset, verbo addito mentem suam dilucidius explicare potuisset. Deinde nemo, opinor, negabit, id, quod volunt, fieri potuisse, sed revera ita sese rem habuisse nullo, ne levissimo quidem, vestigio colligitur. Itaque nulla causa excogitari potest, cur hanc suspicionem nostrae praeferamus sententiae, quae aliquam certe argumenti speciem prae se ferat. — Si quis autem Nicodemi factum ita defendere velit, ut prudenter eum fecisse dicat (1), quod collegarum odium vita-

---

(1) *Lightfootus*, l. l. *Niemeyerus*, *Karakterkunde des Bijbels*. Tom. V. p. 93. seqq.

(1) Conf. quos modo laudavi. Idem argumentum inprimis urgere videtur nuperrimus Nicodemi defensor. *J. H.*

ret, is ipsum Joannem erroris accusare debet. Hic enim, qui istorum temporum rationes multo melius, quam nos cognoverat, hic igitur, cap. XII: 42, loco jam supra laudato, Pharisaeos illos, qui Jesum occulte sectabantur, non tanquam prudentes laudat, sed contra graviter reprehendit, quod ἠγάπησαν τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον, ἤπερ τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ. — Nec reliqua Nicodemi vita, ut voluit Niemeyerus, ostendit, eum non meticulosum fuisse. Nam cum Jesum in senatu defenderet, conf. Joann. VII: 50, haesitanter id fecit, et collegas oblique tantum reprehendit. Et cum ab iis durius acciperetur, statim a proposito destitit, et causae, quam susceperat, patrocinium deseruit. Nec ipse postea a Pilato petivit, ut sibi corpus Jesu sepeliendum traderetur, quod sane erat facinus periculi plenum, conf. Marc. XV: 43, sed Josepho tantum se adjunxit, conf. Joann. XIX: 38 seqq., ut solent homines timidi nihil suscipere, nisi habeant, cujus exemplum et auctoritatem sequantur.

Talem igitur hominem, qui, quo minus justam causam publice amplectatur, aliorum metu deterretur, quid tandem facturum existimemus, si magnum aliquem virum, quem ipse suspiciat,

---

von Wessenberg, in scriptione: *Nicodemus, Eine Erzählung. Bruchstück, aus einen grössern Werke.* 1829. Conf. censor in *Theologische Quartalschrift. 4tes* Heft 1829. p. 748. Ipsum Wessenbergii librum non vidi.

adire velit? Nihil aliud, quam hujus benivolentiam adulatione sibi conciliare conabitur. Quorsum haec? ut intelligatur, quam consentanea sit eorum opinio, qui verba quibus Nicodemus Jesum salutaverit, lenocinii ac blanditiarum speciem habere putent. Nec mirum igitur videri debet, si hanc etiam ob causam displicuerit Servatori, quem ab omni adulatione quam alienissimum fuisse constat. Sed toti huic quaestioni ita satisfecit Borgerus V. Cl. (1), ut nobis et plane persuaderet, et nihil fere dicendum relinqueret. Quamobrem eo nos continebimus, ut quae huic rationi objiciantur, vel objici posse videantur, refutare conemur.

Primum haud negant, Nicodemum Jesum laudasse, sed vere eum laudasse contendunt. Non igitur adulationis accusari debet (quandoquidem adulator is demum dicendus est, qui falsas alicui laudes tribuit), nec Jesus ei, qui vera dicebat, succensere poterat (2). Sed primum difficile erat Jesum ita laudare, ut alienam ipsi nec veram laudem tribueret, quippe cujus omnia dicta et facta ne suspicionem quidem vitii haberent. Deinde cum Nicodemum adulationis accusamus, non hoc dicimus, eum vilem et abjectum fuisse assentatorem; illud

---

(1) l. l. p. 105. seqq. Conf. et *Schmidtius*, l. l.

(2) Hoc consilio, opinor, *Kuinoelius*, p. 218. de voce ῥαββί disputavit, et p. 219, duce *Knappio*, monuit, Nicodemum recte, et secundum ipsius Jesu consilium ex miraculis ad Jesu divinam auctoritatem rationem conclusisse.

tantum contendimus, eum verborum lenociniis Jesu benivolentiam captare voluisse. In eo igitur errabat, quod de Servatoris indole perverse judicabat, eumque, ut vulgus hominum, blanditiis delectari existimabat. Sed rem conficiet comparatio illius sermonis, quem Jesus aliquando cum juvene illo divite habuit, conf. Matth. XIX: 16 seqq. Marc. X: 17 seqq. Luc. XVIII: 18 seqq., qui sermo, ut ostendit Cl. Borgerus l. l., nostram quaestionem egregie illustrat. Ille igitur ita Jesum alloquitur: *διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί ἀγαθὸν ποιήσω, ἵνα ἔχω ζωὴν αἰώνιον.* Honorifica sane compellatio, ita autem vera et simplex, ut nullum placendi studium agnoscas. Nicodemi contra, licet vera, quam verbosa tamen, quam longa, quam officiosa salutatio! Illum autem satis graviter reprehendit Servator: *τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ;* sive *τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός.* Hujus ergo orationem non aegre tulisset? Imo non miraremur, si multo etiam gravius eum increpuisset. — At saepius tulit Jesus, si homines probi, qualis fuit Nicodemus, ipsius dignitatem praedicarent, veluti Nathanaël, conf. Joann. I: 50, et Petrus, conf. Matth. XVI: 16 seqq. — Vide, ne sic dissimillima confundantur. Nathanaël subito divinitatis specimine, quod ediderat Jesus, ita perculsus erat, ut statim in ejus laudem erumperet; Petrum vero ipse etiam provocaverat, ut de sua dignitate testimonium diceret. Ab his quam diversum fuerit Nicodemi negotium, quid attinet demonstrare? Praeterea, si ejus indolem cum Petri indole

comparabimus, reperiemus profecto, huic quaedam licuisse, quae eadem in Nicodemo reprehendenda erant. Scilicet Petri erat fervidum ingenium, ut statim diceret, quaecunque cogitaret; Nicodemus, homo lentus ac timidus, circumspectius cogitabat, quae diceret. Ille si quando Jesum laudaret, veritatis vi coactus hoc faciebat, hic inprimis ut benivolentiam captaret. Ex quo facile intelligitur, quare Servator illum felicem praedicaverit, huic autem aliquanto durius responderit. Praeter haec Nathanaëlis et Petri, alia etiam afferri posse exempla, probe scio, quae tamen, cum omnia eodem fere modo explicari possint, non opus est, ut fusius tractemus.

Quae hactenus disputavimus satis declarant, cur Jesus Nicodemo aliquanto durius responderit. Sed tamen parum ad loci intelligentiam profecerimus, nisi illud etiam ostendere poterimus, cur ei *hoc* potismum *modo* responderit.

Primum excitemus sententiam Schmidtii (1), qui putat, Nicodemum alio jam tempore cum Jesu collocutum fuisse, cujus colloquii continuationem h. l. relatam legi. Quam meram esse conjecturam nemo non videt, et vereor, ne hoc sit, quod ajunt, nodum secare. Certe Schmidtii sententiam ut ipsi difficile erat confirmare, sic nobis difficile est refutare. Nec vero quidquam ad nostri loci intelligentiam affert, nisi aliae etiam, aeque

(1) l. supra l.

aeque incertae conjecturae adhibeantur (1). — Aliam rationem Langius (2) secutus est; qui illud certe recte vidit, quaestionis, quam tractamus, solutionem cum vs. 3, interpretatione arctissime esse conjunctam, ex eaque veluti eruendam esse. Caetera, quae attulit, minus mihi probantur. Statuit autem, formulam illam ἄνωθεν γεννηθῆναι idem significare quod βαπτίζεσθαι, ut Jesu responsum hanc fere vim haberet: *Hoc tibi etiam atque etiam affirmo, nisi quis baptismum suscipiat, atque ita se publice meum discipulum profiteatur, non potest videre regnum Dei.* Servator igitur maxime Nicodemi timiditatem reprehendere voluisset, qui propter metum collegarum noctu ad eum venisset. Sed ἄνωθεν γεννηθῆναι non posse videtur significare *baptismum suscipere*, ut infra demonstrare conabimur. Et, si Jesus Nicodemum id tantum docere voluit, suam doctrinam publice esse amplectandam, assequi non possumus, cur mentem non disertius explicuerit, aut cur Nicodemus eam non intellexerit (3). Tum illud ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ nihil aliud significare potest, quam regni Messiani com-

---

(1) A *Schmidtio* etiam dissentiunt *Goldhornius* et *Kuinoelius*, ad h. l. p. 221.

(2) In *Versione Germ.* ad. h. l.

(3) Ita vs. 4. accipiendum esse, et ipse *Langius* statuit, et nobis h. l. sumere liceat. Infra sententiae nostrae rationes indicabimus.

modis et beneficiis uti (1); igiturne credamus, Jesum hoc dixisse, eum, qui natura esset timidus, hominis Christiani juribus uti non posse? Accedit, quod, mea quidem sententia, Jesus hanc timiditatem nec Nicodemi, nec sua ipsius causa reprehendere potuit. Hunc enim sic facile prorsus deterruisset; de se vero suspicionem movisset morositatis, quasi illud moleste ferret, Nicodemum tam intempestive venisse. — Tertia denique, quae h. l. in censum venit, opinio est Borgeri V. Cl. (2). A quo aegre me propter viri magnitudinem et auctoritatem dissentire confiteor. Sed tamen, quid sentiam, libere dicendum videtur. Quod eo minus invidiae habebit, quia hypothesin tantum viri, non certam fixamque sententiam impugnamus. Sumsit nimirum vir egregius, Jesum hoc sermone usque ad vs. 11. Joannis Baptistae patrocinium suscepisse, atque inprimis ostendere voluisse, illius causam cum sua ipsius causa arctissime esse conjunctam. Sed unde colligitur, Nicodemum de Joannis B. auctoritate dubitasse? Nempe e vs. 2, ubi miraculorum Jesu mentionem fecit Nicodemus. Quam mentionem, cum Joannes B., ut miro consensu narrant Euangelistae, nullum miraculum ediderit, eo pertinere putat Borgerus,

(1) Conf. *Knappius*, p. 210. seqq. *Morus*, *Recitationes in Euangg. Joann.* p. 43.

(2) l. l. p. 111. seqq.

ut Nicodemus Jesum illi opponeret. Ingeniose certe et acute; an vere, valde dubito. Nam nullum ne levissimum quidem istiusmodi oppositionis vestigium in Nicodemi verbis invenitur. — At ne opus quidem fuit, ut ista oppositio diserte significaretur, cum Nicodemus obliquam tantum Joannis B. mentionem fecerit (1). — Sed non intelligo, cur non disertam fecerit. Nam si vel maxime de Joannis B. auctoritate dubitasset, fuisset hic non nisi ingenii error, cujus eum non tantopere pudere debuisset. Praeterea vereor, ut satis ostenderit Borgerus, Jesu responsionem ad Joannis B. defensionem pertinere. Primum ἄνωθεν γεννηθῆναι idem valere non potest, quod βαπτισθῆναι, ut supra jam significavimus, et infra ostendemus. Deinde rursus illud quaerendum est, cur mentem suam non disertius exposuerit Servator. Si v. c. ita dixisset: « video, « quid velis, Nicodeme. Joanni B. obtrectare stu- « des," crt., ille probabiliter dubitare non perrexisset, sed exclamasset aut, ut Nathanaël: ῥαββὶ, σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ ἰσραήλ, conf. Joann. I: 50; aut, ut mulier illa Samaritana: κύριε, θεωρῶ, ὅτι προφήτης εἶ σύ, conf. Joann. IV: 19, coll. vs. 29, 39. Omnino si Borgeri conjectura vera est, mirum videri debet, in toto hoc sermone nusquam Joannis B. nomen exstare. Nisi forte statuere velimus, Jesum obscure et ambigue dictis lusisse, et Nicodemi animum incertum atque suspensum tenere vo-

(1) Vid. l. l. p. 121. not. *w*.

luisse. Quod nemo, opinor, facile contendet. Denique haud scio, an maximum opinionis suae argumentum petiverit Borgerus e vs. 5, ubi Baptismi Joannei disertam mentionem fieri existimat, et e vs. 11, ubi ejusdem, tanquam prophetae, auctoritatem a Jesu defendi suspicatur. Sed illum versum aliter explicari posse, hunc vero aliter explicari debere, suis locis ostendere conabimur.

Nobis, quo magis Jesu responsionis ratio appareat, id inprimis constituendum videtur, quo consilio Nicodemus ipsum adierit. Quod non aliunde petendum, sed ex ipsius verbis eliciendum videtur. Nimirum illud *οἴδαμεν* vs. 2, non tantum ad Nicodemum pertinet, ut hic ipse de se plurali numero locutus sit, sed ad alios etiam Pharisaeos referri debet; id quod satis demonstravit Knappius (1). Itaque cum Jesum ita alloqueretur, *οἴδαμεν, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος*, aperte se suosque collegas indoctae plebeculae opposuit, ut ejus verbis hic fere insit sensus: *Rabbi, non modo imperita multitudo, quae legem ignorat, sed nos etiam, ego et collegarum haud pauci, causae tuae favemus.* In quo primum, ut hoc obiter moneam, rursus cernitur animus ad benivolentiam captandam pronior. Deinde satis apparet, Nicodemum eo, quod gerebat, doctoris munere elatum fuisse. Jam illam fidem, quam Jesu habebat, non eo spectasse putem, ut eum tantum-

(1) l. l. p. 203, 204. Conf. etiam *Kuinoelius*, p. 218.

modo prophetam esse existimaret, quales antiquitus Elias, aliique fuissent, sed ut eum revera Messiam esse crederet (1). Nam formula illa, qua utitur, διδάσκαλος ἀπὸ θεοῦ ἐληλυθὼς idem fere est, quod ὁ ἐρχόμενος ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, conf. Matth. XI: 3. XXI: 9, quibus nominibus Judaei Messiam significare solebant (2). Quid? quod ipse Jesus haec verba ita intellexit. Quomodo enim, vs. 3, regni Messiani mentionem facere potuisset, si Nicodemus tantum de vulgari vate locutus esset? Quibus omnibus inter se collatis, dubium esse non potest, quid statuendum sit de consilio, quo Jesum adierit Nicodemus. Scilicet non assentimur iis, qui putarunt, eum ideo venisse, ut de regni Messiani indole atque natura certior fieret, aut si quam aliam hujus generis opinionem attulerunt viri docti (3). Ejusmodi quid in superbum Judaicum doctorem cadere non videtur; qui hoc optime se scire arbitrabatur, neque dubitabat, quin Messias rex terrestris futurus esset. Illud potius cogitasse videtur, ut quam primum Messiae, jam jam regnum condituro, fidem et obedientiam praestaret. Sic

---

(1) *Tittmannus* etiam, l. l. p. 110 in fin., hanc opinionem non improbabilem sibi videri fatetur.

(2) Conf. *Kuinoelius* ad h. l. et ad I: 9.

(3) Vid. *Tittmannus*, l. l. p. 108—110. Conf. *Koecherus* in *Analect.* ad h. l. p. 1052. *Lückius*, l. l. p. 566, conjecit, Nicodemum idem rogasse, quod Judaei aliquando Joannem B. rogabant: σὺ τίς εἶ; conf. Joann. I: 19. Sed ipse Nicodemus profitebatur, se hoc scire: οἴδαμεν, ὅτι etc.

enim sperabat fore, ut ipsi, tanquam Judaeorum principi, insignis locus in eo regno obtingeret. Erat igitur aliqua certe ex parte similis filiis illis Zebedaei, qui, matre interprete, aliquando Jesum rogarunt, ut in regno Messiano sibi ad dextrum ejus et sinistrum latus adsidere liceret. Conf. Matth. XX: 20. Marc. X: 35.

Nemini jam obscurum esse potest, quomodo Jesu responsum cum Nicodemi alloquio conveniat. Nam ita fere cohaerere videntur; *Noli putare, Nicodeme,* inquit Jesus, *te regni Messiani participem futurum esse, si Messiae benivolentiam blandis verbis tibi conciliaveris; neque illud tibi proderit, quod populi Judaici doctor es; nam hoc tibi etiam atque etiam affirmo, si quis regni Messiani commodis uti velit, huic unam tantum viam patere, nempe ut denuo nascatur.*

Ad illud ἄνωθεν γεννηθῆναι quod attinet, quaesiverunt interpretes, utrum ἄνωθεν vertendum sit, *superne, coelitus;* an *rurus, denuo.* Utraque interpretatio grammaticis rationibus defendi potest (1), ideoque gravissimos nacta est patronos (2).

---

(1) Conf. *Kuinoelius* ad h. l. p. 222.

(2) Illam probarunt quos laudat *Lampius*, ad h. l. et *Noesseltus, De vera vi nominis filiorum Dei,* Opusc. fasc. II. p. 337. — Hanc *Grotius* et *Lampius* ad h. l. et alii, de quibus conf. *Wolfius* in *Curis*, ad h. l. Porro *Knappius*, *Tittmannus*, *Borgerus*, *Kuinoelius*, *Lückius*, l. l.

Equidem assentior iis, qui ἄνωθεν h. l. vertunt *rursus* (cujus significationis exempla occurrunt Gal. IV: 9. Sapient. XIX: 6, et apud Josephum aliquoties), cum propter alias rationes, tum maxime propter Nicodemi responsionem vs. 4. — At Nicodemus ambiguitate vocis deceptus aliam ei sententiam subjecit, ac Jesus voluerat (1). — Sed, quae tandem fuit ista ambiguitas? Nempe nulla erat, nec esse poterat in dialecto Syro-Chaldaica, qua Judaei tunc temporis utebantur (2). — Sit igitur ἄνωθεν γεννηθῆναι i. q. ἀναγεννηθῆναι, ut proprie significet *iterum nasci, regenerari.* Inde transfertur ad mentis mutationem in melius, qua quis ita mutatur, ut plane novus homo fiat, ac denuo natus dici possit. Cum autem proselytae talem mutationem profiterentur, et hanc ob causam baptizarentur, is postea usus invaluit, ut illud ἄνωθεν γεννηθῆναι, sive ἀναγεννηθῆναι de baptismi ritu usurparetur. Haec ratio, nescio quomodo melius rei naturae convenit, quam ratio eorum, qui illam formulam primum de baptismi ritu usurpatam, deinde ad animi emendationem translatam esse putent. Certe frustra ad historiam provocant, cum de baptismi proselytarum antiquitate viri docti magnopere dissentiant (3). Quam litem

(1) Ita jam *Theophylactus*, p. 593, a.

(2) Conf. *Grotius* ad h. l. *Knappius*, l. l. p. 205. *Kuinoelius* ad h. l. p. 223.

(3) Conf. *Wolfius* in *Cur.* ad *Matth.* III: 53, et quos laudat *Borgerus*, l. l. p. 117. not. *r*. Universam quae-

etsi aliis vel dirimendam vel componendam relinquo, ad eam tamen sententiam potissimum accedo, qua ille baptismus post Jesu demum aetatem viguisse statuitur. Etenim nulla, quod sciam, ejus mentio invenitur in libris Apocryphis, et N. T., nec etiam apud Philonem aut Josephum. Omnis igitur hujus rei notitia petenda est ex libris Rabbinorum; quorum auctoritas sanequam exigua sit, cum constet, eos semper id studuisse, ut novis ritibus, quos ipsi excogitaverant, quam maximam attribuerent antiquitatem. — Jam ex hisce omnibus intelligitur, cur non assentiamur iis, qui ἄνωθεν γεννᾶσθαι i. q. βαπτίζεσθαι esse contendant. Neque vero illud recte sumitur, illam formulam tunc temporis Judaicis doctoribus vulgarem et usu tritam fuisse (1). Caeterum aptissime hac metaphora hoc loco usus est Servator, cum, quae scita est Borgeri animadversio (2), nulla dictio tam apta esset ad Nicodemi superbiam pungendam, quam *eum denuo nasci*, i. e. *puerum fieri debere*.

Unum restat, ut videamus, qualem regenerationem h. l. Nicodemo commendaverit Servator. Nonnulli eam strictius interpretantur, de opinionum errore corrigendo; ut ejusmodi regenerationem si-

---

stionem breviter, sed accurate, tractavit *Knappius*, *Vorlesungen über die Christliche Glaubenslehre* etc. Tom. II. p. 449, seqq.

(1) Eadem est sententia *Lückii*, l. l. p. 571.

(2) l. l. p. 127.

gnificaverit Servator, quae Judaeis solum necessaria esset (1). Quam interpretationem ita defendunt, ut cum usu loquendi non pugnare dicant. Atqui non satis est, si interpretatio cum usu loquendi non pugnat; illud requirimus, ut eo diserte confirmetur. Sed accuratius videamus, quid afferant. Nempe saepius voces et formulas, quarum usus latius patet, significatione angustiori poni solere. Jam quis non videt istiusmodi observationes non ubique esse intrudendas? Quaenam est interpretatio, tam absurda, tam contorta, quae hac ratione defendi non possit? Quid? quod nulla necessitas nos cogit, ut haec de Judaeis solis interpretemur. Provocant hanc in rem inprimis ad vs. 7, ubi illud ὑμᾶς emphatice accipiunt. Sed nullam ibi emphasin reperiri, infra satis, opinor, probabimus. — Acquiescam igitur in eorum ratione, qui eam h. l. regenerationem intelligunt, quae vera vitae animique emendatione cernatur (2). Hac regeneratione ita homo in melius mutatur, ut sensus obediant rationi, ut ex σαρκικῷ fiat πνευματικός Quae explicatio optime usui loquendi convenit, quod concedit etiam Kuinoelius (3). Neque vero illud recte objicitur (4), nullam fuisse causam, cur Jesus hanc regenerationem Nicodemo, homini probo, commendaret, quippe

(1) *Tittmannus*, l. l. p. 113. *Kuinoelius*, p. 225, alii.

(2) Conf. *Knappius*, l. l. p. 208.

(3) l. l. p. 224.

(4) *Kuinoelius*, l. l.

quae ita comparata esset, ut optimo cuique necessaria haberi deberet. — Quamobrem hoc dixit Servator: *Illud tibi etiam atque etiam affirmo, nisi quis animum moresque emendaverit, non poterit videre regnum Dei.*

Haec igitur Nicodemo adeo inexspectata accidebant, ut mirabundus responderet:

Vs. 4. *Πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν; μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰςελθεῖν, καὶ γεννηθῆναι;*

De hocce vs. duae inprimis sunt virorum doctorum sententiae: altera eorum, qui haec ita accipiunt, quasi Nicodemus Jesu verba probe intellexerit, sed de eorum veritate tantummodo dubitaverit; altera eorum, qui Nicodemum Servatoris mentem non intellexisse contendunt. Nam illud refutatione vix dignum videtur, quod quidam protulerunt (1), Nicodemum ignorantiam simulasse; nec illud satis probabiliter dicitur, eum Jesum irridere voluisse (2). Utrumque enim a viri gravitate atque integritate abhorrere videtur.

Primum videamus, quid ii afferant, qui Nicodemum verba Jesu intellexisse putent, sed de eorum veritate dubitasse contendant. Nimirum statuunt, eum non assequi potuisse, quomodo haec,

(1) *Paulus*, ad h. l. et *Koppius*, l. l. p. 40.

(2) Apud *Kuinoelium*, l. l. p. 118.

de qua loquebatur Servator, regeneratio, sive illa externa per baptismum, sive interna, Judaeis quoque, non modo Gentilibus necessaria esset. Inesset igitur in Nicodemi verbis comparatio, quae apodosi careret, hoc fere modo explicanda: *Quemadmodum fieri nequit, ut homo adultus in uterum matris revertatur; sic etiam fieri nequit, ut illa regeneratio Judaeis quoque necessaria sit, quippe Ethnicis solis destinata* (1). Quae ratio cur nobis minus probetur, per se intelligitur. Nam, nostra vs. 5 explicatione admissa, res ipsa loquitur, Jesu admonitionem non ad Judaeos tantum, sed ad omnes omnino homines pertinere. Sed alias etiam illa sententia habet difficultates. Nam magnopere vereor, ne per eam Judaeis ejusmodi cogitandi ratio tribuatur, quae illis propria fuisse non videatur. Etenim Joannem B. eandem regenerationem, externam et internam, jubentem nunquam illi sic reprehenderunt, ut dicerent: nobis Judaeis illa regeneratione non opus est; sed illud ei objicere solebant, quod nulla auctoritate doceret ac baptizaret. Conf. Joann. I: 19—27. Matth. III: 7.

Non igitur dubitamus assentiri iis, qui ita hunc versum accipiunt, ac si Nicodemus Jesum non intellexisset. Ille autem propriam verborum significationem arripuit, tum ne aperte ignorantiam profiteri cogeretur, tum ut Jesum ad dicendum eliceret. — At

(1) Conf. *Knappius*, l. l. p. 212. *Kuinoelius*, l. l. p. 226. *Tittmannus*, l. l. p. 114. *Borgerus*, l. l. p. 139.

fuit formula illa, ἄνωθεν γεννηθῆναι, Judaicis doctoribus perquam usitata atque solennis. — Hoc vero, ut supra vidimus, temere sumitur, neque probari potest. — At res, quam Jesus hac formula significabat, ad intelligendum erat facillima (1). — Etiamne, si verbis haud ita perspicuis proponeretur? Quid? quod illa ipsa res Judaeis, quibuscum Jesus vivebat, nova prorsus erat atque inaudita. Conf. Matth. XV: 1—14. V: 20. XXIII (2). Potestne igitur mirum videri, Nicodemum non intellexisse, qualem regenerationem significaret Jesus? — Sed veniamus ad illud, quod maxime nostram sententiam videtur confirmare. Saepissime Jesus quaedam doctrinae suae capita, eademque per se ad intelligendum haud difficilia, per metaphoras et imagines enuntiabat. Causae, cur ita fecerit, multae eaeque gravissimae afferri possunt; verum id nunc non quaerimus; sed tum semper fere homines Servatoris mentem non intelligebant, idque ita fere significabant, ut verba ejus, quasi proprie dicta essent, acciperent. Horum hominum cum Nicodemo similitudo neminem latere potest. Quidni igitur illius verba eodem modo interpretemur? — Hujusmodi autem exempla apud reliquos Euangelistas non reperiuntur (nisi forte quis huc referre velit, quod narrat Matth. XVI: 5—12.

---

(1) Conf. *Koppius*, l. l.

(2) Conf. omnino *Knappius*, l. l. p. 209 et 230, qui copiose hoc demonstravit.

col. Marc. VIII: 14—21); ex uno igitur Joanne petenda sunt. In quo nemo offendet, qui reputaverit, illos inprimis orationes Jesu publice habitas literis mandasse, in quibus auditoribus nullus fere erat respondendi locus; Joannem contra, ut dudum viri docti monuerunt, magis id studuisse, ut Jesu colloquia et disputationes cum Judaeis traderet. Sed ordine singula videamus. Primum igitur provoco ad sermonem illum, quem Jesus aliquando cum muliere illa Samaritana habuit, conf. Joann. IV. Huic ita Servator, vs. 10: *εἰ ᾔδεις τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ, καὶ τίς ἐστιν ὁ λέγων σοι· δός μοι πιεῖν· σὺ ἂν ᾔτησας αὐτὸν, καὶ ἔδωκεν ἄν σοι ὕδωρ ζῶν.* Quam metaphoram cum illa non intelligeret, ita respondit, quasi Jesus proprie de aqua locutus esset, et *κύριε,* inquit, *οὔτε ἄντλημα ἔχεις καὶ τὸ φρέαρ ἐστὶ βαθύ· πόθεν οὖν ἔχεις τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν;* Et cum Jesus eodem modo pergeret vs. 13, 14, illa rursus vs. 15: *κύριε, δός μοι τοῦτο τὸ ὕδωρ, ἵνα μὴ διψῶ, μηδὲ ἔρχωμαι ἐνθάδε ἀντλεῖν* (1). Num igitur existimemus illam mulierem adeo hebetem fuisse, ut non videret Jesum improprie loqui? Minime; nam in hoc ipso

(1) Conf. omnino *Kuinoelius* ad h. l. p. 274 et *Tittmannus*, l. l. 157, 161, qui ita hunc locum accipiendum esse docuerunt, et eorum refutarunt sententiam, qui statuerent, mulierem illam Jesum irridere voluisse. Quod eo magis mihi monendum duxi, quia fuerunt, (conf. supra) qui Nicodemi responsum, de quo agimus, eodem modo, tanquam irridentis, interpretarentur. Quibus jam nullum in hoc loco praesidium est.

sermone multa acuminis documenta dedit. Sic potius statuamus; Jesum metaphora uti, probe illa quidem perspiciebat, sed quaenam esset hujus metaphorae vis, id tantum assequi non poterat. Ne igitur aperte ignorantiam profiteretur, plane ut Nicodemus, propriam verborum Jesu significationem premere maluit. — Porro, quod eodem capite IV, vs. 32—34 legimus, licet minus id, quod volumus declaret, ejusmodi tamen est, ut cum nostro loco comparari possit. Nam hortantibus discipulis, ut cibum sumeret, Servator ita responderat, ut diceret: ἐγὼ βρῶσιν ἔχω φαγεῖν, ἣν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε. Illi simplicem illam, minimeque reconditam metaphoram prorsus non intellexerunt, et proprie acceperunt: ἔλεγον οὖν οἱ μαθηταὶ πρὸς ἀλλήλους· μή τις ἤνεγκεν αὐτῷ φαγεῖν; Denique ejusdem plane generis est locus, cap. VI: 33, 34: ὁ γὰρ ἄρτος τοῦ θεοῦ ἐστὶν ὁ καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ Εἶπον οὖν πρὸς αὐτόν· κύριε, πάντοτε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον. — Erunt fortasse, qui nobis objiciant, in iis omnibus exemplis Jesu rem esse cum hominibus indoctis, minime comparandis cum Nicodemo, Israëlis doctore. Hos igitur rogatos velim, ut sequentia etiam considerent. Joann. II: 18—20 postulantibus Judaeis, ut divinae legationis documentum daret, respondit Jesus: λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. Hoc loco, ut recte monuit Kuinoelius (1), οἱ Ἰουδαῖοι intelligendi

---

(1) p. 203.

sunt praefecti templi, aliique de primoribus populi. Nam saepius illud nomen apud Joannem hac significatione occurrit (1); quin etiam ex collatione Matth. XXVI: 60 seqq. et Marc. XIV: 57, haud improbabiliter colligitur, M. quoque Synedrii assessores illi colloquio interfuisse. Illos autem homines eatenus tantum cum Nicodemo comparari velim, quatenus offensionem, ex minus intellecta metaphora ortam, eodem modo significarunt. *Εἶπον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι· τεσσεράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος· καὶ σὺ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερεῖς αὐτόν.* Caeterum nostro consilio inservire etiam potest locus Joann. VI: 51, 52: *καὶ ὁ ἄρτος δὲ, ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστὶν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. Ἐμάχοντο οὖν πρὸς ἀλλήλους οἱ Ἰουδαῖοι λέγοντες· πῶς δύναται οὗτος ἡμῖν δοῦναι τὴν σάρκα φαγεῖν;*

Vs. 5. *Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι· ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰςελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.*

De eo consentiunt interpretes, quod haud facile quisquam negabit, Jesum h. vs. ea, quae supra dixerat, ita repetivisse, ut mentem suam apertius explicaret. Non igitur obscurum esse potest, quinam horum verborum sensus esse debeat; sed aliquam tamen difficultatem habet illud *ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος*; Qua de re breviter nobis videndum est.

---

(1) Conf. *Schleusnerus* in voc. et Cl. *van Hengel*, in *Opp. Societ. Hag.* anno 1808. p. 12.

Plures interpretes nullam omnino h. l. baptismi mentionem fieri contendunt, et illa vocabula per figuram, quae ἓν διὰ δυοῖν dicitur, explicanda putant, ut significent vel *spiritum aqueum*, ut Grotius voluit, vel *aquam spiritualem*, quae recentiorum fere opinio est (1). Qua ratione et verbis et sententiae vim inferri, non est quod moneamus. Sine dubio autem illi rectam viam ingressi sunt, qui ὕδωρ h. l. de externa regeneratione per baptismum; et πνεῦμα de interna regeneratione, quae vi divina efficitur, accipiunt (2). Etenim negari nequit, vocabulum ὕδωρ nonnunquam de baptismo usurpari, v. c. Ephes. V: 26. Hebr. X: 22. 1 Joann. V: 6. Deinde saepius in libris N. T. baptismus ἐν ὕδατι conjungitur cum baptismo ἐν πνεύματι. E. g. Act. X: 47: μήτι τὸ ὕδωρ κωλῦσαι δύναταί τις, τοῦ μὴ βαπτισθῆναι τούτους, οἵτινες τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔλαβον, καθὼς καὶ ἡμεῖς; Quem locum erunt fortasse, qui alienum esse contendant, quia illud πνεῦμα ἅγιον, non ut nostro loco significet animi emendationem, Sp. s. ope efficiendam, sed dona illa extraordinaria, quae primis Christianis erant propria. Quasi vero ista dona ita cuipiam obtin-

---

(1) Conf. *Grotius* ad h. l. et alii, quos et *Wolfius* in *Cur.* ad h. l. et *Kuinoelius* ad h. l. p. 227 laudant.

(2) Conf. quos laudat *Wolfius* in *Cur.* ad h. l. *Knappius*, l. l. p. 214. *Kuinoelius* ad h. l. p. 218. *Tittmannus*, l. l. p. 115 et *Borgerus*, l. l. p. 140.

gere potuerint, ut ejus animus non simul emendaretur. Inprimis autem ad nostrum propositum pertinet locus Paulinus, Tit. III: 5, ubi λουτρὸν παλιγγενεσίας cum ἀνακαινώσει πνεύματος ἁγίου uno tenore conjunctum reperitur. Sed haec hactenus.

Jam vero videamus, quare h. l. baptismi mentionem injecerit Servator. Nam ad regenerationis naturam patefaciendam illud: ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐκ πνεύματος, sufficere videri potest. Nimirum ut Nicodemo ostenderet, suam regenerationis doctrinam non adeo novam esse atque inauditam. Erat enim tunc temporis vulgaris inter Judaeos opinio, Messiam ita regnum conditurum esse, ut subditos baptismo sibi obstringeret (1). Cum igitur Jesus baptismum cum regeneratione conjungeret, tacite ad illam Judaeorum opinionem provocabat. Quam ob rem sic fere Servatoris mentem exprimam: *Ipsi creditis, vos regno Messiano per baptismum initiandos esse; ne igitur mireris, quod dixi, id per regenerationem fieri debere; nam vester ille baptismus, et illius, de qua loquor, regenerationis est symbolum, nec sine ea quidquam valet.* Quae cum ita sint, sponte apparet, Servatorem non ad *unum* Joannis B. baptismum respexisse, ut quidam voluerunt (2), sed etiam ad

---

(1) Conf. *Knappius*, l. l. p. 212. *Kuinoelus* ad *Joann.* I: 22. p. 149, 150.

(2) Conf. quos laudat *Borgerus*, l. l. p. 146. not. *a*.

illum, quem ipse, dum vivebat, a discipulis administrandum curabat, conf. Joann. IV: 1—3, tum ad illum, quem post mortem instituturus erat (1). Quocirca neque assentimur Cl. Borgero (2), qui h. vs. certissimum sibi indicium reperisse visus est, Jesum hoc sermone Joannis B. causam adversus Nicodemum agere voluisse.

Vs. 6. *Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι.*

Haec eo pertinent, ut intelligeret Nicodemus, regenerationem illam non modo fieri posse, sed etiam quam maxime esse necessariam. Hujus autem vs. interpretatio maximam partem constituenda vocis σάρξ notione continetur. Qua in re grammaticis rationibus parum proficimus. Ea enim est hujus vocis *πολυσημία* (3), ut quamcunque significationem elegeris, eam usu loquendi defendere possis. Quamobrem id inprimis videndum est, quaenam interpretatio orationis seriei optime conveniat.

Sunt igitur, qui σάρξ h. l. intelligant *humanam*

---

(1) Scita est, nec tamen necessaria, Grotii animadversio, Jesum h. l. eodem modo de Baptismo postea instituendo cogitasse, quo alio tempore, conf. *Joann.* VI: 25. seqq., ad Sacram Coenam respexerit.

(2) l. l. p. 140. seqq.

(3) Varias significationes illustrarunt *Knappius*, l. l. p. 219. seqq. et *Schleusnerus* in voce.

naturam, sive *hominem* in genere, cujus significationis exempla haec sunt: Matth. XVI: 17. XIX: 5. XXIV: 22. Joann. I: 4. Act. II: 17 ctr. (1); ut hanc fere haberemus sententiam: *ex hominibus natus homo est; i. e. sola nativitas naturalis nullum affert jus ad obtinendum regnum Messianum; hujus igitur qui particeps esse velit, hunc per Spiritum divinum immutari oportet* (2). Refutasset igitur Servator eam Judaeorum opinionem, qua putabant, se propter solam ex Abrahamo nativitatem regni Messiani fore participes. Iste autem error in causa erat, cur Nicodemus vs. 4. regenerationem Judaeis necessariam esse negaret, atque ad solos Gentiles pertinere putaret. Addunt, Servatorem eandem doctrinam saepius proposuisse, conf. v. c. Matth. VII: 10—12. Joann. IV: 23. VIII: 39. Eodem modo etiam disputavit Paulus ad Gal. V: 16. VI: 15 et Rom. IX: 7, 8. Qui locus ideo inprimis commemorandus est, quod ibi vox σὰρξ eadem de re adhibetur: οὐ γὰρ πάντες, inquit, οἱ ἐξ ἰσραὴλ, οὗτοι ἰσραήλ· οὐδ᾽ ὅτι εἰσὶ σπέρμα ἀβραάμ, πάντες τέκνα· — οὐ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τεκνα θεοῦ. — Sed satis, opinor, ostendimus, hunc sermonem non solos Judaeos spectare, et vs. 4 aliter esse accipiendum. Quam ob rem hanc interpretatio-

---

(1) Conf. *Schleusnerus* in voce n°. 4.

(2) Ita fere *Semlerus* et *Barhdtius*, conf. *Tittmannus*, l. l. p. 116; et *Doederlinus* et *Storrius*, conf. *Borgerus*, l. l. p. 147. not. *b*.

nem, tanquam orationi non convenientem, improbare debemus.

Alii πνεῦμα intellexerunt *spiritum* in genere. Itaque σάρξ ex lege disjunctionis significet, *corpus*, necesse est. Unde hic nascitur sensus: *Simile simile gignit; e carne gignitur caro*, i. e. *e corpore corporeum; e spiritu autem gignitur spiritus*, i. e. *ex spiritu spirituale* (1). Servator igitur Nicodemum docere voluerit, se non loqui de naturali, sed de spirituali generatione. Atqui primum, si nobis constare volumus, πνεῦμα h. l. eodem modo, ac vs. 5 explicandum est, neque significare potest *spiritum* in genere sed *spiritum divinum*, quamvis latissimo sensu. Deinde Nicodemus, ut ad vs. 4 ostendimus, licet metaphorae vim non assequeretur, tamen illud intelligebat, Jesum de impropria generatione loqui. Itaque tali admonitione ne opus quidem erat.

Maxime autem placet eorum ratio (2), qui σάρκα interpretantur *vitiositatem*; quae est usitatissima hujus vocabuli notio. Πνεῦμα autem priori loco significet *spiritum divinum*, plane ut vs. 5; altero, *meliorem indolem per hunc spiritum efficiendam*. Nam ultima illa, σάρξ ἐστι et πνεῦμά

---

(1) Sic antiquitus *Chrysostomus*, e recentioribus *Erasmus* ad h. l.

(2) Conf. *Knappius*, l. l. p. 219. Tum *Lampius* ad h. l. et *Wolfius* in *Cur.* Praeterea *Morus* et *Zachariae* apud *Borgerum*, l. l. p. 147. not. *b*.

ἐστι, ita sunt accipienda, quasi scripsisset auctor: σαρκικόν ἐστι et πνευματικόν ἐστι (1). Caeterum, si quis cum Knappio aliisque statuere velit, neutrum h. l. positum esse pro masculino (ut totus vs. sic sit intelligendus: ὁ γεγεννημένος ἐκ τῆς σαρκὸς, σαρκικός ἐστι· καὶ ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος, πνευματικός ἐστι), non valde repugnem (2); modo teneatur, masculinum non plane idem valere, quod neutrum. Aliquanto minus dixisset Servator, nec mentem satis accurate explicuisset, si masculino usus esset. Nempe ejus argumentum eo nititur, quod vulgari dicitur proverbio: *simile simile gignit* (3). Id autem, masculino genere adhibito, non tam dilucide apparuisset (4). — Haec si vera sunt, ita fere ho-

---

(1) *Theophylactus*, p. 593, c.: τὸ γὰρ πνεῦμα ἀντὶ τοῦ πνευματικὸς ὀφείλεις νοῆσαι.

(2) Negat *Lückius*, l. l. p. 581.

(3) Conf. *Erasmus*, ad h. l. et *Borgerus*, l. l. p. 147. not. *b*.

(4) Omnino nimis indefinite loquuntur Grammatici, cum neutrum pro masculino positum esse dicunt; et pauca, vel potius nulla, sunt loca, in quibus id plane verum esse videatur. Sic 1 Joann. V: 4, ex nostro loco ductus, eodem plane modo est accipiendus. Matth. I: 20 prorsus perperam huc refertur. Nam ibi τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν non est pro ὁ ἐν αὐτῇ γεννηθεὶς, sed intelligendum est βρέφος, vel τέκνον, vel παιδίον, vel simile quid. Nec minorem dubitationem habet 1 Joann. I: 1, ubi Cl. *Voorstius* pro ὅ legendum conjecit ὅς, sed etiamsi retineatur ὅ, non positum est neutrum pro masculino, ut ostendit *Vaterus* ad h. l.

rum verborum sensus exprimendus esse videtur: *Nosti, Nicodeme, universalem illam generationis legem: simile simile gignit. Hoc recte ad moralem illam, de qua loquimur, generationem transferri potest. Qui ex parentibus vitiosis nascitur, itidem est vitiosus; nisi igitur denuo nascatur, manet vitiosus. Si vero denuo nascatur, seu nascatur ex spiritu,* (i. e. *ope Sp. s. in melius mutetur,*) *tum fit melior, sive spiritualis.* Sed quomodo his efficitur, regenerationem ad regnum Messianum obtinendum necessariam esse? Nimirum argumenti apodosin, intellectu facillimam, omisisse videtur Servator hanc: *regnum autem Messianum non est terrestre (σαρκικὸν), sed est spirituale. Nemo igitur illius particeps fieri potest, nisi qui per regenerationem spiritualis factus sit.* Si vero causas quaerimus, cur Servator haec omiserit, reperiemus verissimas has. Primum Nicodemus nondum idoneus fuisse videtur ad illud, tam aperte propositum, aequo animo ferendum. Accedit, quod nimis explicando argumentorum vis haud parum inminuitur. Saepissime praestat conclusionem omittere et auditoribus inveniendam relinquere, inprimis si comparationibus, ut hoc loco, res agitur. Ejusmodi quid etiam in aliis Jesu sermonibus et orationibus animadvertere licet. Unum tantum afferam exemplum, Matth. XII: 29. Pharisaei Jesu objecerant, illum Beelzebulis ope daemonas ejicere. His Servator et alia respondet, et haec: ἢ πῶς δύναταί τις εἰςελθεῖν εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἰσχυροῦ.,

καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ διαρπάσαι, ἐὰν μὴ πρῶτον δήσῃ τὸν ἰσχυρόν; καὶ τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει. Quo loco quis non videt, hanc fere omissam esse apodosin: *Quemadmodum hoc fieri nequit, sic ego daemonas, diaboli ministros, ejicere non possum. nisi ipse diabolus mihi subjectus sit. Tantum abest, ut ab eo adjuver.*

Vs. 7. *Μὴ θαυμάσῃς, ὅτι εἶπόν σοι· Δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν.*

Plerique interpretes (1) suspicati sunt, Nicodemum h. l. vultu indicium fecisse, se nihilominus dubitare et mirari; Jesum igitur, ut huic dubitationi statim occurreret, haec dixisse: *noli mirari, quod tibi dixi, vobis esse renascendum.* Sed aperte Jesus h. l. respexit ad vs. 4; ut non dubitemus, assentiri Cl. van der Palm (2), acute animadvertenti, haec verba arcte cohaerere cum vs. 5 et 6, et nihil aliud esse, quam illorum, quae praecedunt, conclusionem. Itaque hic vs. ita est explicandus: *Quae cum ita sint* (sc. quae Jesus vs. 5, 6 disputaverat), *noli mirari* (quod vs. 4 fecerat Nicodemus), *quod tibi dixi* (vs. 3), *vobis esse renascendum.* — Caeterum facile concedo,

---

(1) *Euthymius Zigabenus*, ad h. l.: ἰδὼν αὐτὸν οὔπω τῆς παχύτητος ἀφιστάμενον, ἀλλ' ἔτι θορυβούμενον, καταστέλλει πρῶτον, cfr. Conf. *Knappius*, l. l. p. 223. *Kuinoelius* ad h. l. p. 231. *Lückius*, l. l. p. 583.

(2) In Versione vernacula ad h. l.

Jesum isto plurali ὑμᾶς respexisse ad illud οἴδαμεν vs. 2; sed non credo, ut quidam voluerunt (1), eam vocem h. l. singularem habere emphasin; ut Jesus Judaeos opponeret gentilibus: *Noli mirari, quod dixi, VOBIS etiam Judaeis, non modo Gentilibus, esse renascendum.* Etenim si hisce verbis inesset oppositio, non Gentiles Judaeis, sed plebem Judaeorum proceribus opposuisset Servator; hi enim isto plurali οἴδαμεν vs. 2 significantur; atque haec ejus mens fuisset: *noli mirari, quod tibi dixi, vobis etiam populi Judaici proceribus et doctoribus, non modo hominibus de plebe, esse renascendum.* Deinde, si ejusmodi oppositionem voluisset Joannes, facillime omne dubium tollere potuisset, si vel unam voculam καὶ addidisset, atque ita scripsisset: μὴ θαυμάσῃς, ὅτι εἶπόν σοι· Δεῖ καὶ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν.

Vs. 8. Τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις· ἀλλ' οὐκ οἶδας, πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει. Οὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος.

Illud quidem satis apertum est, vocabulum πνεῦμα priori loco significare *ventum.* Quae vocis significatio cum apud Alexandrinos et in N. T. saepius, tum aliquoties etiam apud Graecos occurrit (2). Cum

(1) *Knappius*, l. l. p. 223. *Borgerus*, l. l. p. 139. Negat *Lückius*, l. l. p. 566.

(2) Conf. *Schleusnerus* in voce. Sic quoque *Chrysosto-*

isto autem vento Sp. s. vis et efficacia comparatur, ut satis indicat illud οὕτως, quod saepius in N. T. pro τοῖος adhibetur (1). Unde facile intelligitur, ultima hujus vs. verba: οὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος negligentius esse posita pro: τοῖόν ἐστι τὸ πνεῦμα, ἐξ οὗ δεῖ γεννηθῆναι τὸν ἄνθρωπον (2). Quae comparationis concludendae ratio Servatoris consuetudini optime convenit (3). Sponte autem in

---

mus, Hom. XXV. *Theophylactus*, p. 594, a: ἄνεμον ἐνταῦθα φησὶ πνεῦμα. *Euthymius Zigabenus* ad h. l. πνεῦμα νῦν τὸν ἄνεμον λέγει. Reliquae interpretationes adeo mirae sunt, ne dicam absurdae, ut eas verbo retulisse sufficiat. *Augustinus*, aliique patres, πνεῦμα et h. l. de Sp. s. accipiunt, conf. *Suicerus*, *Thes.* II, 780, quos nonnulli etiam e recentioribus secuti sunt. Secundum hanc sententiam Sp. s. compararetur cum Sp. s.! quod sane absurdum est. Conf. *Knappius*, l. l. p. 225 et *Tittmannus*, l. l. p. 217. — *Maldonatus* intellexit *hominis animam*, conf. *Wolfius* in *Curis* ad h. l., cui proxime accedit *Thiessii* sententia, conf. *Henkius N. Mag.* IV, 382, *hominis animum* interpretantis. Sed hunc fuse refutavit *Borgerus*, l. l. p. 161, not. *l.* — Fuerunt etiam teste *Wolfio* in *Cur.* ad h. l., qui Jesum de *sole* locutum esse suspicarentur. Denique *Doederlinus* commemorandus est, qui *Theol. Biblioth.* III, 933, vocem πνεῦμα de ipso *Jesu Christo* accipiendam putavit.

(1) Conf. *Storrius* ad *Jacob.* III, 6, not. 105. *Opusc.* II. p. 38, et ad 1 *Thess.* IV, 14, not. 107. ibid. p. 320.

(2) Conf. *Heinsius* apud *Koecherum* in *Analectis* ad h. l. Negat Reverend. *Hinlopen*, *Overdenkingen*, Tom. I, p. 293.

(3) Conf. *Borgerus*, l. l. p. 161 seqq.

hanc similitudinem incidebat Servator, cum *spiritus* et *ventus* Hebraice, ut notum est, eodem vocabulo רוח denotentur. Consulto igitur Joannes h. l. non ἄνεμος dixit, sed πνεῦμα, atque sic felicissime Jesu mentem expressisse putandus est (1). Praeterea ex illo: καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις probabiliter conjicitur, noctem illam, qua Nicodemus ad Jesum veniret, valde procellosam fuisse (2). In quo rursus cernitur consuetudo Servatoris, qui saepissime imagines sumere solebat ab iis rebus, quae tum, cum loquebatur, maxime in auditorum sensus incurrerent.

Haec fere sunt, quae de h. vs., tanquam certa, statuere audeam. Quae sane ejusmodi sunt, ut intelligatur, nihil hic legi, nisi quod Servatoris rationi et consuetudini conveniat. Quae animadversio haud parum nos offensione levabit, si loci sensum penitus assequi non potuerimus. Duas autem afferam explicationes, quarum utra sit probabilior, equidem dijudicare non possum.

Sunt igitur, qui hanc fere huic versui sententiam subesse putent: *quemadmodum ventum exstare, ex sonitu, quem edit, colligis, licet ejus naturam non penitus perspectam et cognitam ha-*

---

(1) Conf. *Knappius*, l. l. p. 225 et *Kuinoelius* ad h. l. p. 232. Caeterum scite *Borgerus*, l. l. p. 163, not. similem in *Homeri* comparationibus elegantiam animadvertit.

(2) Conf. *Knappius*, l. l. p. 226. *Kuinoelius*, p. 233.

beas; sic etiam dubitare non debes, quin Sp. divinus exstet et in hominum mentes operetur, licet hujus rei modum assequi non possis. Itaque καὶ vertendum est *quamvis*, ἀλλὰ *tamen*; neque illud, πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει ad vivum resecari debet. Servator autem existimandus est maxime Nicodemi ἀπιστίαν reprehendere, eumque docere voluisse: *ineptum esse, nihil credere velle, nisi cujus rationem plane intelligas* (1). In hac sententia cum essent Knappius (2) et Kuinoelius (3), eam satis imprudenter expressisse censendi sunt. Dicunt enim, Servatorem hoc Nicodemum docere voluisse: *ineptum esse, nihil credere velle, nisi quod sub sensum oculorum cadat.* Atqui Joannes de *sensu oculorum*, ne verbo quidem locutus est; nec scripsit ἀλλ' οὐχ ὁρᾷς, sed ἀλλ' οὐκ οἶδας (4). Qua negligentia Borgero V. Cl. (5) ansam dederunt, ut hanc interpretationem reprehenderet. Cui reprehensioni jam nullum locum esse, facile intelligitur. Idem vir egregius queritur, illos interpretes parum sibi constare, cum reliquum sermonem de solis Judaeis accipiant, huic autem ver-

(1) Conf. *Tittmannus*, l. l. p. 117.

(2) Conf. l. l. p. 224 seqq.

(3) ad h. l. p. 232.

(4) Eadem negligentia *Nonnus* in *Metaphrasi:*

. . . . ἀλλὰ δαῆναι
Οὐ δύνασαι βλεφάροις, πόθεν ἔρχεται ἢ πόσε βαίνει.

(5) Conf. l. l. p. 157—159.

sui eam tribuant sententiam, quae ad omnes homines pertineat. Sed nihil hoc valeat contra nos, qui omnem Jesu sermonem non solos Judaeos spectare, et supra saepius diximus, et hoc quoque loco contendimus. Illud magis recte objicit, nec quomodo solvam, reperire possum, secundum hanc rationem verba illa: τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ prorsus esse supervacanea.

Sed nihil nos vetat, quominus ipsius Borgeri sententiam (1) retineamus, modo eam ad nostrum institutum paululum immutare liceat. Hic enim ita locum expressit: *Sicut ventus libero impetu fertur, et jam has, jam illas regiones perflat, nec certum ac stabilem locum, unde oriatur, nec quorsum vadat, habet; ita Sp. divini vis et efficacia nullis locis definiri, circumscribi, arceri potest.* Docuisset igitur Servator: *Judaeos aeque ac caeteras gentes iterum nasci debere, sicut ventus Palaestinam aeque ac caeteras terrae regiones perflat.* Atqui, ut saepius jam diximus, non loquebatur Servator de ejusmodi regeneratione, quae Judaeis solis necessaria esset; illud potius Nicodemo demonstrare conabatur, aditum ad regnum Messianum omnibus omnino hominibus patere. Quidni igitur Borgeri rationem invertamus, et sic fere loci sensum constituamus: *Ventus libero impetu fertur, ut non modo Palaestinam, sed caeteras quoque regiones perflet; eodem modo*

---

(1) Conf. l. l. p. 159, 160.

Sp. divini beneficia, quae aditum ad regnum Messianum muniunt, non Judaeis solum propria, sed Ethnicis quoque destinata sunt. Quae ratio haud scio, an ad Semleri rationem proxime accedat (1). Caeterum si quis grammaticas, quibus illa interpretatio defenditur, observationes desideret, is ipsum Borgerum (2) adeat.

Vs. 9, 10. *Ἀπεκρίθη Νικόδημος καὶ εἶπεν αὐτῷ· πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι; Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ· σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις;*

Ex his apparet, Jesum nondum Nicodemo persuasisse. Hic autem, cum vs. 4 ita dubitationem significasset, quasi Servator non satis perspicue locutus esset, jam cogebatur suam ipsius ignorantiam aperte profiteri. Itaque Jesu ansam praebuit, ut ejus superbiam, tanquam doctoris, quam ante oblique tantum tetigerat, nunc etiam aperte reprehenderet. Quod eo magis fecisse putandus est Servator, quia haec ipsa superbia in causa erat, cur sibi fidem non haberet Nicodemus. Quamobrem neminem futurum esse arbitror, quin ironiam in Jesu responso agnoscat (3): *σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ,*

---

(1) In *Paraphrasi Euang. Joann.* ad h. l.

(2) l. l. p. 150, not. *k*.

(3) Conf. *Augustinus*, *Expos. in Euang. Joann.* Tract. XII, et qui eum laudat *Knappius*, l. l. p. 230. Conf. *Glassius*, *Phil. Sacr.* Libr. V. cap. 5. Tract. I. p. 711. alii.

καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις; Itaque iis assentior, qui articulum h. l. singularem emphasin habere putant (1): *Tune es ille clarus gentis Israëliticae doctor.* Negant tamen Storrius (2) et Kuinoelius (3); sed nihil afferunt, cur sententiam mutemus.

Quae vs. 11—13 leguntur, pertinent ad fidem faciendam iis, quae jam exposuerat Servator, ac deinde vs. 14, 15 expositurus erat. Ita autem argumentatur Dominus, ut primum de prophetarum auctoritate in universum disputet; tum vero ostendat, se reliquis vatibus non modo parem, sed multo etiam esse superiorem. His igitur si fidem negare nefarium sit, multo magis sibi fidem haberi oportet. Quae argumentatio gravi querela de Judaeorum incredulitate interrumpitur: καὶ τὴν μαρτυρίαν — πιστεύσετε; Sed videamus de singulis.

Vs. 11. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν, καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν· καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν οὐ λαμβάνετε.

Nonnulli interpretes pluralem λαλοῦμεν et οἴδαμεν pro singulari positum esse putant, ut de se ipse

---

(1) *Grotius* ad h. l. *Lampius* ad h. l. et *Bengelius* in *Gnomone*. Conf. *Borgerus*, l. l. p. 112, not. *Michaëlis* ad h. l.

(2) Conf. *Opusc.* III, p. 171.

(3) Ad h. l. p. 234.

tantum locutus sit Servator (1). Sed hujus rei exempla rarissime occurrunt, in Jesu sermonibus nunquam. Is contra, ubi de divina doctrinae suae origine disserit, solet prima persona singularis numeri uti, v. c. Joann. VII: 16. VIII: 28. XII: 49. XIV: 24 (2). Deinde cum in nostro loco singularis numerus et praecedat, et sequatur: *λέγω σοι — εἶπον ὑμῖν·* quae tandem ratio excogitari potest, cur Servator in hisce verbis plurali numero usus sit, si de *se uno* tantum loqui voluerit (3)? Maneat igitur hoc, illud *οἴδαμεν* et *λαλοῦμεν* ad plures pertinere, sed eo difficilior fit quaestio, quosnam Servator respexerit.

Nonnulli, inter quos est Glassius (4), existimant, Jesum h. l. de Deo Patre, vel de Sp. s. cogitavisse, tanquam cum ipso testantibus. Conferri jubent Joann. VIII: 17, 18, ubi Servator Pharisaeis calumniantibus, vs. 13: *σὺ περὶ σεαυτοῦ μαρτυρεῖς· ἡ μαρτυρία σου οὐκ ἔστιν ἀληθής·* ita respondit: *καὶ ἐν τῷ νόμῳ δὲ τῷ ὑμετέρῳ γέγραπται· ὅτι δύο ἀνθρώπων ἡ μαρτυρία ἀληθής ἐστιν. Ἐγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμαυτοῦ, καὶ μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με πατήρ.* Atqui iste locus nostro loco est dissimillimus. Nam illic utebatur

---

(1) Conf. *Michaëlis* ad h. l. *Kuinoelius* ad h. l. p. 234, alii.

(2) Conf. *Borgerus*, l. l. p. 133.

(3) Conf. Id. ibid. et *Knappius*, l. l. p. 231.

(4) In *Philol. Sacr.* Libr. III. Tract. 3, p. 423. Conf. *Wolfius* in *Cur.* ad h. l.

Jesus argumento quodam, quod dicitur, ad hominem, quo adversarios ad incitas redigeret, ut vel ex illa legis Mosaicae citatione apparet; Nicodemum vero non modo refutare, sed etiam docere voluit. Accedit, quod causa nulla apparet, cur Servator h. l. ad Dei patris potissimum testimonium provocaverit. Denique si haec ejus mens fuit, vereor sane, ut Nicodemus eam intelligere potuerit.

Maldonatus (1) statuit, Jesum nec de se, nec de certo aliquo teste, sed in universum de omnibus veris testibus locutum esse, ut his verbis generalis sententia contineatur haec: *non solemus testari, nisi quae audivimus aut vidimus; quare mihi tam certo affirmanti fidem habere debes.* Atqui si Jesus ad omnium verorum testium consuetudinem provocavit, levem sane, aut potius nullam, laudavit auctoritatem. Deinde, si generalem sententiam proponere voluit, cur tandem locutionibus usus est non generalibus, sed maxime emphaticis? Quis enim non videt repetitionem illam, sive, ut ita dicam, parallelismum, οἴδαμεν atque ἑωράκαμεν; λαλοῦμεν ac μαρτυροῦμεν magnam afferre orationi gravitatem?

Alii denique (2) nostrum locum *ad unum* Joannem B. pertinere arbitrati sunt; quandoquidem

---

(1) Ad h. l. apud *Tittmannum*, l. l. p. 120.

(2) *Herzogius* apud *Wolfium* in *Cur.* ad h. l. et *Borgerus*, l. l. p. 134 seqq.

is jam baptismum exercere coeperat cum annuntiatione regni coelestis, adeoque de eodem argumento, de quo hic agebatur, testatus est. Sed quae hoc vs. continetur admonitio non ad unam doctrinam de regeneratione, a Nicodemo in dubium vocatam, sed ad Judaeorum incredulitatem in universum pertinet (1). Quod satis, opinor, apparet ex illis, quae Jesus in fine vs. adjecit: καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν οὐ λαμβάνετε. Alioquin Servator sine dubio dixisset: λαμβάνεις. Nam etsi dubitari nequit, quin reliqui Judaei idem, quod Nicodemus, facturi essent, hic tamen solus in hoc sermone illam in dubium vocaverat. Nec quemquam offendere potest, hanc universalem reprehensionem ab unius Nicodemi reprehensione esse profectam; quandoquidem hoc ferebat Servatoris consuetudo, ut a rebus singularibus universales sententias duceret (2). Deinde vs. 13 Jesus aperte se opposuit, et praetulit iis testibus, quos hic laudaverat. Nam qui οὐδεὶς in universum de hominibus interpretari voluerit, frigidam habebit sententiam (3). Quare si h. vs. de *uno*

---

(1) Recte *Theophylactus*, p. 594 et 595, a: ταῦτα δὲ λέγει ὁ Κύριος οὐ πρὸς τὸν Νικόδημον, ἀλλὰ πρὸς τὸ γένος τῶν Ἰουδαίων, ἀποτεινόμενος τῶν ἀπιστησόντων ἄχρι τέλους.

(2) Conf. ipse *Borgerus*, l. l. p. 169 seqq.

(3) Fecit hoc *Bauerus* in *Henkii Magazin* IV. P. II. p. 384.

Joanne B. cogitavisset, illic non uti potuisset nomine collectivo οὐδεὶς, sed necessario dicere debuisset: καὶ οὗτος οὐκ ἀναβέβηκεν ctr. Borgerus praeterea, quo magis hanc interpretationem defenderet, verbum ὁρᾷν h. l. proprie accepit, et illud ἑωράκαμεν, μαρτυροῦμεν retulit ad illam coeli discessionem, et Sp. s. demissionem, cujus et Jesus et Joannes testes fuerant (1). Sed quae de verbo ὁρᾷν attulit vir egregius, ea profecto ejusmodi sunt, ut nullam afferant necessitatem. Deinde, unde efficitur, Jesum coeleste illud spectaculum respexisse? An quia Joannes B. de eodem illo spectaculo iisdem verbis usus est: κἀγὼ ἑώρακα καὶ μεμαρτύρηκα ctr. conf. Joann. I: 24? Atqui id tantum ex isto loco, cum nostro loco et 1 Joann. I: 2 collato, apparet, verba ὁρᾷν et μαρτυρεῖν proverbialiter ab iis usurpari consuevisse, qui certo aliquid testari vellent (2). Igiturne omnes, qui hanc formulam adhibuerunt, eadem de re cogitasse censendi sunt?

Sed eo jam veniamus, ut, quid nobis de hoc

---

(1) Conf. l. l. p. 134.

(2) Conf. *Grotius* ad nostrum locum. — Obiter animadvertere liceat, illa loca quodammodo etiam ea confirmare, quae supra de plurali non accipiendo pro singulari monuimus. Nam *Joann.* I: 34, Baptista de se ipse singulari numero utitur: καὶ ἑώρακα καὶ μεμαρτύρηκα. Apostolus 1 *Joann.* I: 2, ideo pluralem adhibuit: καὶ ἑωράκαμεν καὶ μαρτυροῦμεν: ut reliquos apostolos idem testari significaret. Quo modo igitur nostrum locum de uno Jesu interpretari possumus?

versu videatur, declaremus. — Maxime autem ad verosimilitudinem accedere putem, haec verba ad omnes omnino prophetas, qui ante Jesum fuerunt, referenda esse. Itaque Knappio (1) potissimum assentior. Quamquam in eo dissentio, quod putavit, Jesum hic eos laudare testes, qui secum in doctrina de regeneratione consentirent. Nam, ut supra jam monuimus, reprehendit Servator h. l. Judaeorum incredulitatem in universum, cui reprehensioni Nicodemi dubitatio ansam dederat. — Caeterum λαλεῖν et μαρτυρεῖν de *docendo* hic usurpari, et οἴδαμεν, ἑωράκαμεν idem significare, sc. *cognitum atque perspectum habere* (2), satis ostendit Knappius l. l. Quae cum ita sint, totius versus sententiam ita fere exprimendam existimo: *Omnino mihi fidem habere debetis; nam hoc tibi etiam atque etiam affirmo: nos prophetae ea solemus tradere, quae vera atque certa esse, probe cognovimus, sed vos Judaei prophetis fidem negare soletis.*

Vs. 12. *Εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε· πῶς, ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια, πιστεύσετε;*

Est haec quaerela de Judaeorum ἀπιστίᾳ nexa ex fine vs. praecedentis: καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν οὐ λαμβάνετε. Nam frustra nonnulli hic rursus quaedam

---

(1) l. l. p. 132 seqq.

(2) *Theophylactus*, p. 594, e.: οὐ γὰρ δήπου σωματικὴν ὄψιν τὸ ἑωράκαμεν δηλοῖ, ἀλλὰ γνῶσιν ἀκριβεστάτην.

deesse suspicantur (1). Quae ratio et h. l. non necessaria est, et omnem interpretationem incertam et arbitrariam efficit. Jam vero, ut vs. 11 non ad universum orationis argumentum, i. e. ad doctrinam de regeneratione, pertinere mihi videtur, sic etiam hanc querelam in universum ad Pharisaeorum pervicaciam a me referri, res ipsa loquitur. Itaque hac in re plane assentior Cl. Borgero (2). Quae tamen animadversio non eo valere debet, ut a vulgari interpretatione vocabb. ἐπίγεια et ἐπουράνια discedamus. Neque enim probare possum ejusdem Borgeri rationem, qui ἐπίγεια *parabolas* intelligi voluit; quas ita nominare posset Servator, quia earum materiam a rebus obviis et in sensum cadentibus sumere solebat (3). Quod, ut libere fatear, nimis quaesitum atque arbitrarium videtur. Neque video, quomodo τὰ ἐπουράνια *res coelestes, ita ut sunt, sine parabolarum involucris propositas* significare possit. Denique, ut ipse Borgerus fatetur, certo ostendi nequit, Jesum jam tum in illo festo Paschatis, et ante, parabolas docuisse. Quae autem affert vir egregius, ut hanc difficultatem tollat, ea aeque sunt incerta, et nullam, certe exiguam vim, habere videntur. Quamobrem,

---

(1) *Koppius*, l. l. p. 44 et *Kuinoelius* ad h. l.

(2) l. l. p. 168 seqq.

(3) l. l. 170 seqq. Simile quid statuisse videtur *Glassius*, *Philol. Sacr.* Libr. II. P. I. Tract. II. Sect. 5. p. 221. b.

ut dixi, in vulgari interpretatione acquiescendum putavi. Explicant autem τὰ ἐπίγεια (1), ducibus praesertim Origene et Chrysostomo, τὰ ἐν τῇ γῇ γενόμενα, i. e. *res cuivis obvias, humano ingenio accommodatas*. Unde sequitur, τὰ ἐπουράνια, proprie *ea, quae fiunt in coelo*, nihil aliud esse, quam *res abstrusas atque difficiles, quae humanum captum longe superant* (2). Illa intellexit Servator ea, quae hoc ipso Paschate docuerat; quae revera erant ad intelligendum facilia, quaeque, ut ex variis indiciis colligitur, eo tantum spectabant, ut Jesus se prophetam profiteretur, atque ex privatae vitae umbra in publicam lucem prodiret. Haec autem, τὰ ἐπουράνια, sunt ea, quae Jesu in posterum docenda erant. Quorum summam vs. 14, 15 Nicodemo jam tradidit; nempe, Messiam sublimioris esse naturae, atque secundum divinum consilium in cruce moriturum esse,

---

(1) *Beza* et *Grotius* ἐπίγεια referunt ad illam comparationem naturalis nativitatis vs. 6 et venti vs. 8, quos refutavit *Borgerus*, l. l. p. 165. Illud animadvertere operae pretium esse videtur, fuisse jam antiquitus, qui hanc rationem sequerentur. *Chrysostomus*, XXVI: *τὰ δὲ ἐπίγεια ἐνταῦθα τινὲς μὲν περὶ τοῦ ἀνέμου φασὶν εἰρῆσθαι, τοῦτ᾽ ἔστιν· εἰ καὶ ὑπόδειγμα ἀπὸ τῶν ἐπιγείων ἔδωκα, καὶ οὐδὲ οὕτως ἐπείσθητε, πῶς δυνήσεσθε τὰ ὑψηλότερα μαθεῖν.*

(2) Conf. *Knappius*, p. 233 seqq. *Tittmannus*, p. 121. qui aliquantum tamen inter se differunt. Sed haec dissensio nullius fere momenti esse videtur. Vid. etiam *Kuinoelius* ad h. l.

ut genus humanum conservaret. Haec autem adeo abhorrebant a Judaeorum opinione et exspectatione, ut ea plane non intelligerent. Ergo hanc habemus totius vs. sententiam: *Quorsum ista vestra ἀπιστία tandem evadet? Quae adhuc vobis exposui facilia erant intellectu, et nihilominus mihi fidem negastis. Restant autem alia mihi docenda, quae humanum captum superant; haec igitur quomodo vobis probabo?*

Vs. 14. Καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ.

Hicce versus arcte cohaeret, non tam cum vs. proxime antecedenti, quam cum vs. 11. Etenim ostendere voluit Servator, se reliquis vatibus multo esse superiorem, ut sibi majorem etiam, quam illis, fidem haberi oporteat. Unde simul sequebatur, se majora etiam, quam illos, nempe τὰ ἐπουράνια illa, tradere posse. Itaque illis assentior, qui καὶ h. l. vertunt *atqui* vel *autem* (1). — Deinde ad οὐδεὶς, ut supra jam ostendimus, e vs. 11 repetendum est τῶν προφητῶν (2). Ad formulam autem ἀναβαίνειν εἰς

---

(1) Vid. *Knappius*, l. l. p. 335 et *Tittmannus*, l. l. p. 119. Exempla vide apud *Schleusnerum* in voce. Alii vertunt *nam*, ut *Wolfius* in *Cur.* ad h. l. *Borgerus*, l. l. p. 179. not. *v.*; alii *certe*, quos vide apud eundem *Wolfium*, l. l.

(2) Interpretes hoc vulgo neglexerunt. Animadvertit

τὸν οὐρανὸν quod attinet, res ipsa loquitur, eam tropice esse intelligendam (1): *nemo eorum in coelo fuit*, i. e. nemo eorum unquam ad arcana Dei consilia admissus est, cf. Rom. X: 6.- Scilicet hoc uni contigerat τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου, cui ne opus quidam erat, ut in coelum adscenderet; quippe qui incoelo fuisset, indeque in terram descendisset. Haec vero quin de se ipso praedicaverit Servator, dubitari nequit. Ὁ ὢν autem, ut recte monuerunt interpretes, idem valet,

---

Chrysostomus, *Homil.* XXVI, qui tamen in eo fallitur, quod istud τῶν προφητῶν non ex vs. 11, sed ex Nicodemi alloquio vs. 2 repetiit. Locus ita sese habet: καὶ ποία αὕτη ἡ ἀκολουθία; μεγίστη ἀγαπητὲ, καὶ σφόδρα τοῖς ἔμπροσθεν συνᾴδουσα. Ἐπειδὴ γὰρ ἐκεῖνος εἶπεν, ὅτι οἴδαμεν, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος, τοῦτο αὐτὸ διορθοῦται; μονονουχὶ λέγων· μὴ νομίσῃς, μὲ οὕτως εἶναι διδάσκαλον, ὡς τοὺς πολλοὺς τῶν προφητῶν ἀπὸ γῆς ὄντας. Ἐκ οὐρανοῦ γὰρ πάρειμι νῦν. Atqui, ut satis probabiliter ostendisse nobis videmur, vs 2 διδάσκαλος ἀπὸ θεοῦ ἐληλυθὼς significat *Messiam*, non *doctorem quemcunque*. Chrysostomum exscripsit fere *Euthymius Zigabenus*: ἐπεὶ προλαβὼν εἶπεν, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος, τοῦτο αὐτὸ διορθοῦται νῦν, ὡσανεὶ λέγων· μὴ νομίσῃς, μὲ τοιοῦτον διδάσκαλον, ὡς ἕνα τῶν προφητῶν. Καὶ γὰρ οὐδεὶς ἐκείνων ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανόν ctr. Conf. etiam *Theophylactus*, p. 595. c.

(1) Fuerunt, qui eam ad Christi adscensum in coelum post opus peractum referrent. Quam sententiam, plane absurdam, ne dicam ridiculam, refutavit *Knappius*, l. l. p. 336. Alias aliorum interpretationes vide apud *Wolfium* in *Cur.* ad h. l.

quod ὃς ἦν, neque in praesenti tempore haerendum est (1). Inservire videtur explicationi illius ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, quod Servator propter praecedens ἀναβέβηκε potissimum usurpasse videtur. Utraque igitur locutio, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, et ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ h. l. idem valet, atque ad divinam Christi naturam pertinet; ut arctam significet necessitudinem, quae ipsi cum Patre intercedebat, conf. Joann. I: 18. III: 38. VII: 38, 62. XVI: 28. XVII: 5 (2). Hoc ipsum jam erat unum ex illis ἐπουρανίοις, quae Jesus Judaeis traditurus erat, et quibus, ut ex locis modo laudatis apparet, illi vehementer offensi sunt. Caeterum animadversione dignum est, Jesum h. l. satis aperte se Messiam profiteri. Ea enim est vis appellationis ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου (3). Quod cur fecerit, haec causa fuisse videtur. Nicodemus, ut supra ad vs. 2 disputavimus, cum Jesum adiret, opinabatur, eum esse Messiam. Quam opinionem, cum hoc ipso sermone haud parum labefactata esset, denuo confirmari necesse erat. Hinc consulto illud ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου additum legitur; quod si omittas, manet ta-

(1) Conf. *Knappius*, l. l. p. 237. *Tittmannus*, l. l. p. 120. *Kuinoelius* ad h. l. p. 237.

(2) Conf. *Doederleinii* commentatio *De vi et usu formulae, Christum e coelo venisse*, in *Opusc. Theolog.* p. 61 seqq.

(3) Conf. *W. Scholten* in *Specim. Hermeneutico-Theol. de appellatione ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.* p. 67.

men eadem sententia, Jesum tanquam legatum divinum omnibus prophetis esse superiorem. En denique totius versus sententiam: *Eorum autem, quas modo memoravi, prophetarum nemo ad arcana Dei consilia admissus est: hoc mihi uni contigit, qui revera sum Messias, qui non beneficio aliquo, sed per meam ipsius naturam cum Deo sum conjunctissimus, ejusque voluntatem cognovi.*

Vs. 15, 16. *Καὶ καθὼς Μωϋσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῷ ἐρήμῳ, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου· ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται, ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον.*

Postquam igitur vs. 11–14 suam auctoritatem satis munivit Servator, eam doctrinae partem explicare aggressus est, quae Judaeis longe dificillima esset ad ferendum, ideoque vere ἐπουρανία dici posset. Utitur autem hac in re exemplo ex historia Gentis Israëliticae petito, quod exstat Num. XXI: 7.

Verbum ὑψωθῆναι significat *extolli, in altiorem dignitatis gradum evehi:* vid. Matth. XI: 23. XXIII: 12. Luc. I: 52. Act. XIII: 17. Itaque fuerunt, qui nostrum locum de Christi evectione in coelum interpretarentur, atque ideo provocarent ad Act. II: 33. V: 31, ubi ὑψωθῆναι eadem de re usurpatur. Sed bene observavit Kuinoelius (1),

---

(1) Ad h. l. p. 240. Verbo hic commemoranda est *Pauli* sententia, qui de exaltatione Messiae, nescio qua, πνευμα-

ibi additum legi τῇ δεξιᾷ τοῦ θεοῦ. Deinde si ita h. l. illud verbum accipiendum est, prorsus non video, quamnam vim habeat comparatio, qua usus est Jesus. Cogitandum igitur est de Christi exaltatione in crucem. Eadem sententia Servator hoc verbo ὑψωθῆναι usus est Joann. VIII: 28 et XII: 32–34; ubi diserte addidit Euangelista: τοῦτο δὲ ἔλεγε σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν. Itaque lusit quodammodo Servator ambiguitate vocis: *vos Judaei putatis, Messiam in alto loco positum iri; et aliquatenus certe recte putatis; tolletur sed — in crucem.* Eundem plane lusum in voce נשׂא reperimus Gen. XL: 19; ubi Josephus, cum vs. 13 Pharaonis οἰνοχόῳ ita salutem praedixisset: *Pharao caput tuum extollet;* eadem formula pistori mortem annuntiavit: *etiam tuum caput Pharao extollet, sed ita ut illud suspendat.* In quo, ut hoc obiter moneam, non acerbam irrisionem, sed nativam illius aevi simplicitatem agnoscere licet. Sed redeat, unde digressa est, oratio. Haud inproba-

---

τικῇ cogitari voluit. Quem, data opera, refutavit *Flattus* in *Symbolar. ad illustranda graviora quaedam Jesu dicta, in Euang. Joann.* Part. I. p. 10. Conf. *Kuinoelius*, l. l. Peculiarem sententiam protulit Reverend. *D. van Voorst*, *Bundel van uitlegkundige Verhandelingen*, Fasc. I. p. 35, qui ὑψωθῆναι de filio hominis ubique cognito, i. e. de doctrina Christiana ubique propagata accepit. Quam interpretationem ut fuse refutemus, non opus esse videtur. Quae autem vulgari rationi objecit vir doctissimus, ea sanequam ejusmodi sunt, ut nihil nos movere debeant.

bilis videtur Knappii conjectura, Jesum Syriace loquentem usum esse verbo זקף, quod Hebraeis et Aramaeis proprie significat *attollere*, idque latissimo sensu: Ps. CXLV: 14. CXLVI: 8; deinde transfertur ad eos, qui in cruce suspenduntur: Esr. VI: 11. Paraphr. Chald. Esth. VII: 11. Vers. Syr. N. T. Matth. XX: 19. XXIII: 34 (1). Quae cum ita sint, non dubitamus, quin recte interpretes ita hujus loci sensum expresserint: *quemadmodum Moyses serpentem illum aeneum in pertica collocavit, eodem modo Messias in crucem tolli debet. Idque simili plane consilio. Nam ut Israëlitae serpentem illum intuentes sanati sunt, ita quicunque Messiae in crucem acto fidem habuerit aeternam felicitatem consequetur.*

Elegans sane comparatio, et tanto doctore dignissima! Nam qui serpentem illum typum Messiae fuisse contendunt (2), nihil sane dicunt, quod nos movere debeat. Etenim quo tandem argumento ostendere possunt, serpentem illum eo consilio a Moyse positum esse, ut Messiae mortem praefiguraret? Nec vero Judaei unquam eum pro typo Messiae habuerunt. Denique, quod caput est, ipse Jesus h. l. nullum hujus rei indicium fecit (3).

---

(1) l. l. p. 239.

(2) Conf. *Wolfius* in *Cur.* ad h. l.

(3) Conf. *Tittmannus*, l. l. p. 124. *Kuinoelius* ad h. l. p. 241.

Quo magis autem hujus comparationis praestantia intelligatur, duo tantum pro instituti ratione nobis animadvertenda sunt: alterum hoc est, eam etiam Nicodemo satis perspicuam fuisse; alterum, ejus argumentum optime cum universi sermonis argumento convenire.

Certatim monuerunt viri docti, Nicodemum haec verba non intellexisse (1). Neque nos dubitamus, quin illorum vim mortuo demum Jesu penitus perceperit. Sed tamen jam tum, cum Jesus haec ei dicebat, plus intelligere potuit, quam vulgo opinantur. Sic minime a verosimilitudine abhorret, eum probe perspexisse, illam Messiae ὕψωσιν ad mortem ejus pertinere. Quid enim? An eruditus doctor minus intelligere potuit, quam vulgus Judaeorum; quos, ut recte monuit Knappius (2), illud ὑψωθῆναι de morte Christi interpretatos esse, ex Joann. XII: 32 — 34 patet? Locus sic se habet: Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ὄχλος· ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα· καὶ πῶς σὺ λέγεις· ὅτι δεῖ ὑψωθῆναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; τίς ἐστιν οὗτος ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου; Kuinoelius existimat, eos illud ὑψωθῆναι male accepisse, et de evectione Messiae in coelum intellexisse; ut haec eorum esset admiratio: *nos audivimus Messiam semper* in his terris *futurum esse; quomodo igitur tu dicis, eum in coelum abiturum esse?* Sed quis non videt hanc

(1) Conf. quos laudat *Kuinoelius* ad h. l. p. 240.

(2) l. l. p. 239. Conf. etiam *Tittmannus* ad illum locum.

interpretationem formulae μένειν εἰς τὸν αἰῶνα contortam esse ac pene arbitrariam? Accedit, quod sic illa Judaeorum objectio nullam plane vim habet. Etenim cur tantopere offensi essent, si Jesus Messiae majorem etiam dignitatem tribuisset, quam ipsi exspectarent? Neque obstat, quod Joannes ipse vs. 33 illud ὑψωθῆναι explicandum duxit: τοῦτο δὲ ἔλεγε σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν. Nam haec admonitio non Judaeis erat destinata, sed Graecis, ad quos scribebat Apostolus. Sed haec hactenus. Alterum, quod Nicodemum intelligere potuisse verosimile videtur, hoc est: beneficia illa, Messiae morte afferenda, atque adeo jus regni Messiani obtinendi non solis Judaeis sed omnibus omnino hominibus concessum esse. Huc enim illud πᾶς vs. 15 pertinere interpretes satis evidenter docuerunt (1).

Jam non difficile erit ostendere, quomodo haec cum reliquo sermone cohaereant. Improbamus autem Mori (2) conjecturam, hoc etiam loco quaedam deesse suspicantis; ut Nicodemus plura de Messiae persona et dignitate interrogasse censendus sit. Neque opus esse videtur, quamquam hoc minime negamus, ut cum Knappio (3) statuamus, doctrinam de regeneratione cum doctrina de Messia

---

(1) Conf. *Kuinoelius* ad h. l. p. 241. *Tittmannus*, l. l. p. 126.

(2) *Recitat. in Euang. Joann.* p. 53.

(3) l. l. p. 238.

morituro arctissime esse conjunctam. Nam Jesus h. l. non de regeneratione per se spectata locutus est, sed eatenus tantum, quatenus aditum muniret ad regnum Messianum. Hoc autem Nicodemus ideo ferre non poterat, quia illud regnum terrestre regnum, quod ad solos Judaeos pertineret, futurum esse existimabat. Ut ei igitur plane persuaderetur, nihil aptius erat, quam hoc: Messiam pro omnibus moriturum esse. Et, si verum est, quod supra posuimus, Nicodemum eo potissimum consilio ad Jesum venisse, ut se ipse Messiae commendaret, et insignem in ejus regno locum obtineret; non sine animadversione praetermittendum est, Jesum itidem mortis suae mentione eandem filiorum Zebedaei exspectationem tollere studuisse (1).

Reliqua, quae vs. 15—21 leguntur non ad colloquium Jesu cum Nicodemo pertinere, sed ab ipso Joanne profecta esse videntur. Atque ita judicarunt haud pauci viri docti (2), quorum sententiam probavit etiam Borgerus V. Cl. (3). Quae ratio optime convenit consuetudini Joanneae, qui saepius

(1) Vid. supra p. 19.

(2) *Erasmus* et *Rosenmullerus* ad h. l. *Schmidtius*, l. l. p. 341.

(3) l. l. p. 179. not. *a*.

istiusmodi annotationes narrationi inserere solet (1). Inprimis autem hoc fecisse videtur, ubi, ut in nostro loco, vaticinia Jesu commemoranda erant. Conf. Joann. II: 21. VII: 39. XX: 13. Deinde quivis videt, argumentum vs. 14, 15 ita comparatum esse, ut facillime Apostolum, Jesu amore atque admiratione repletum, abriperet. Gravissimum autem argumentum hoc est, quod, cum Christus vs. 13, 14 se *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου* vocaverit, hisce versibus *υἱὸς θεοῦ* vocetur. Neque enim probabile videtur, Jesum in eodem colloquii tenore haec nomina commutasse. Quid? quod vs. 16, 18 non modo legimus *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ*, sed etiam *ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ*, quo vocabulo Jesum nunquam usum esse, interpretes observarunt (2). Praeterea illa vs. 19 *αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις, ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι τὸ σκότος μᾶλλον, ἢ τὸ φῶς· ἦν γὰρ πονηρὰ αὐτῶν τὰ ἔργα*, haud obscuram habent reprehensionem Nicodemi, qui noctu ad Jesum venerat, et eorum omnium, qui Pharisaeorum metu deterrebantur, quominus Christi causam publice amplecterentur (3). Atqui, ut supra jam vidimus (4), ipse Jesus propter

---

(1) Conf. *Schulze, Der Schriftstellerische Charakter u. Werth des Johannes* ctr. p. 229.

(2) Conf. *Kuinoelius*, l. l.

(3) Conf. *Knappius*, l. l. p. 250. not. ubi tamen contra *Koppium* ostendit, ex his effici non posse, Nicodemum malo consilio Jesum adiisse. Vid. et Cl. *van der Palm* in *Versione vernacula* ad h. l.

(4) p. 15.

tempora Nicodemum hanc ob causam reprehendere non potuit. Contra ejusmodi reprehensio prorsus in Joannem cadebat, qui ita magistrum amabat, ut ferre non posset, si quos ejus puderet. Hinc etiam illa c. XII: 40: *ὅμως μέντοι καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν· ἀλλὰ διὰ τοὺς Φαρισαίους οὐχ ὡμολόγουν, ἵνα μὴ ἀποσυναγωγοὶ γένωνται· ἠγάπησαν γὰρ τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον, ἤπερ τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ.* — Quae omnia satis nobis persuadent, h. l. vs. 16–20, non Jesu, sed ipsius Joannis verba inveniri.

TANTUM.

ADDENDA.

Ad pag. 2. De Archontibus Judaeorum peculiaris exstat Diatribe *Petri Wesselingii*, Trajecti ad Rhenum, 1748, cujus conf. cap. IV, p. 45 seqq. et cap. XI, p. 100 seqq.

Ad pag. 20, 21. Baptismum proselytarum Jesu aetate nondum in usu fuisse, accurate etiam ostendit *J. G. Reiche* in *Dissertatione de baptismatis origine et necessitate, nec non de formula baptismali*, Göttingae, 1816, Part. I. Sect. II. § 9. p. 26—66. Nuperrime idem argumentum tractavit *M. Schneckenburger*, *Ueber das Alter der Judischen Proselytentaufe und deren Zusammenhang mit den Johanneischen und Christlichen Ritus*, Berlin, 1828; qui illud sibi proprium habet, quod controversiae historiam quam accuratissime conscripserit, pag. 4—32. Idem vir doctus, p. 71—75, data opera, ostendit, baptismum proselytarum nostri loci interpretationi non adhibendum esse. Primum contendit, Judaeos nunquam, nedum Christi aetate, illum baptismum pro regenerationis symbolo habuisse, neque ullam omnino notionem moralem cum eo conjunxisse. Unde sequitur, formulam ἄνωθεν γεννηθῆναι de illo ritu usurpari non potuisse. Deinde nonnulli interpretes, ut baptismum prosely-

tarum ad nostrum colloquium explicandum vindicarent, ad vs. 10 inprimis provocarunt. Nam quod ibi Jesus miratur, Nicodemum regenerationem ignorasse, id tantum de regeneratione ἐξ ὕδατος interpretantur; quasi dixisset Servator: *Si ignorares, quid esset* γεννηθῆναι ἐκ πνεύματος, *non valde mirarer; sed* γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος *intelligere oportet Gentis Israëliticae doctorem, qui baptismum proselytarum cognoverit.* Hos igitur ita refutavit Schneckenburgerus, ut Jesu admirationem ad regenerationem in universum pertinere, atque non modo ad vs. 5, sed etiam ad vs. 3 referendam esse ostenderet.

Ad pag. 30. Judaeos in ea fuisse opinione, ut putarent, Messiam ejusque praecones populum baptizaturos esse, negavit *Reichius*, l. l. in *Excursu*, p. 76—80. Sed hunc ita refutavit *Schneckenburgerus*, l. l. p. 56 seqq., ut cuivis facile persuasurus sit.



THESES.



I.

Ultimum caput Euangelii Joannei, exceptis vs. 24, 25, ab ipso Apostolo profectum est.

II.

Errare videntur, qui Jesum, Matth. XXI: 28-30. 33—39. XXII: 2—13, ideo potissimum parabolis usum esse existiment, ut Pharisaeorum insidias vitaret.

III.

Jesus et Apostoli in iis, quae ad religionis doctrinam pertinent, minime se ad perversas aequalium opiniones accommodarunt.

IV.

Veteres philosophi, exceptis Alexandrinis, si quae rectius de Deo ejusque natura statuerunt, ea minime Judaeis accepta referre debent.

V.

Cum Baptismi ritum, tum sacram Coenam in perpetuos Christianorum usus a Servatore instituta sunt.

VI.

Julianus non modo impie, sed etiam imprudenter fecit, quod Christianos vexaverit.

VII.

In fragmento Aristoclis apud Eusebium Praep. Euang. XIV, p. 766, d. vitiose legitur: *τί δήποτε τοιούτων γε δὴ τῶν πραγμάτων ὄντων, ἠξίωσαν* (Protagoras aliique) *εἶναι μέτρον τῆς ἀληθείας τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ᾽ οὐ συνῆκαν τὸ κεφάλαιον.* Nimirum e Platonis Theaet. p. 161, c. corrigendum est: *ἀλλ᾽ οὐ σῦν ἢ καὶ κυνοκέφαλον.*

VIII.

Plane assentimur Erasmo, ita scribenti: « Sacris « quidem literis ubique prima debetur auctoritas;

« sed tamen ego nonnunquam offendo quaedam vel
« dicta a veteribus, vel scripta ab Ethnicis, etiam
« poëtis, tam caste, tam sancte, tam divinitus, ut
« mihi non possim persuadere, quin eorum pectus,
« cum illa scriberent, numen aliquod bonum agita-
« verit. Et fortasse latius se fundit Spiritus Christi
« quam nos interpretamur, et multi sunt in con-
« sortio sanctorum, qui non sunt apud nos in ca-
« talogo."

IX.

Paulus, Act. XVI: 26, *ἐποίησέ τε (ὁ θεὸς) ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων* ita dixit, ut plures, quam unam, stirpes humanas ab origine exstitisse negaret.

X.

Sana philosophia minime intercedit, quominus Sacris Scriptoribus, ubi veri nominis miracula a Moyse, Elia et Elisa, denique a Jesu et Apostolis patrata esse referant, fidem habeamus.

XI.

Qui religionem Christianam humano generi plurima mala et incommoda attulisse calumniantur, in praestantissimum Dei beneficium valde sunt injuriosi.

XII.

Egregie falluntur, qui, quo majorem Revelationi divinae concilient auctoritatem, de Rationis humanae pretio abjecte loquuntur.



BS 3619 .9 .H01	Holwerda Commentatio in Jesu Colloquium... [1836]

16361
Halwerda
Commentatio in
Jesu Colloquium...



